

QVIDVS EX FONTIDVS ARISTIDES IN ORATIDNIBVS SICVLIS ET LEVCTRICIS SCRIBENDIS HAVSERIT.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

CONSENSV ATQVE AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

GVILELMVS BVRCHARDT

MEGALOPOLITANVS.



NEOSTRELITII

TYPIS BARNEWITII. APVD AEMILIVM FREHSE.

MDCCCXCV.

Ref.: Prof. Dr. de Arnim.

GVSTAVO KOERTE

GRATI ANIMI

DOCVMENTO

D. D.

Aelius Aristides, florens ille in alterius p. C. n. saeculi sophistica ratione rhetor, quamquam in declamationum non nullis non mediocrem rerum a Graecis gestarum scientiam protulit, tamen unde hauserit eam non multi adhuc viri docti diligentius perquirere studuerunt. Recentissimis enim temporibus duas Aristidis declamationes celeberrimas quae inscribuntur *Παναθηναϊκός* et *Πρὸς Πλάτωνα ὑπὲρ τῶν τεττάρων*, hanc Alfredus Haas,[1]) Jacobus Haury[2]) illam ad fontes conati sunt referre. Sed ut iusto saepius accidit in talibus tractationibus, ita hac de re diversissima uterque eorum statuit: Thucydidem alter ex historicis contendit esse „omnium fontium gravissimum", alter Ephorum ducem fuisse et auctorem Aristidi nobis vult comprobare. Hanc tantam sententiarum repugnantiam si velim ita disceptare, ut res ad finem perducta esse videatur, nunc dies deficiet, praesertim cum omnes Aristidis declamationes pertractare et cum Thucydidis Herodoti Diodori Plutarchi aliorum libris subtilissime comparare appareat oportere. Quare in aliud tempus magis idoneum illud differens nunc in duabus modo declamationibus componendis, ut parvula quaedam conferam ad solvendam quaestionem, quibus usus sit auctoribus Aristides mihi in animo est diiudicare.

I. De orationibus Siculis.

Niciam, Atheniensium in Sicilia ducem, rebus parum succedentibus epistolam Athenas misisse, qua ut aut novas

---

[1]) A. Haas: Quibus fontibus Aelius Aristides in componenda declamatione quae inscribitur *Πρὸς Πλάτωνα ὑπὲρ τῶν τεττάρων* usus sit. diss. Gryphisw. 1884.

[2]) J. Haury: Quibus fontibus Aelius Aristides usus sit in declamatione quae inscribitur *Παναθηναϊκός*. diss. Monac. 1888.

mitterent copias aut missas revocarent a civibus petebat, apud Thucydidem alios videmus scriptum. Quibus acceptis litteris et recitatis in contione a duobus civibus Aristides in utramque partem facit orationes perpetuas ita explicari, ut omnia fere ad id tempus in Sicilia gesta tractentur et de pentecontaëtia, ut ita dicam, nonnullae inferantur digressiones. Ex antiquis autem qui nunc exstent scriptoribus expeditionis Siciliensis partem priorem ab initio belli usque ad epistolam a Nicia Athenas missam copiosius tractant tres soli: Thucydides Diodorus Plutarchus; ab his igitur de auctoribus Aristidis disputatio debet proficisci. Quorum locos singulos in comparationem voca: mox videbis, quam fideliter aliorum sequatur auctoritatem, quam raro suo utatur iudico, quibus maxime delectetur, quae minus ei placeant, videbis etiam multum abesse, ut Aristides per singula quidem singulos elegerit, quos potissimos duces prae ceteris sequeretur, immo ex uno fere totas eum auctore declamationes excerpsisse. Neque hunc esse deperditum quemquam historiarum scriptorem, cuius ille vestigia presserit, sed unum Thucydidem fore spero ut infra luculenter appareat.[1])

Exploraturis nobis quos secutus sit auctores Aristides, nonnulli occurrunt loci, ubi aliquod factum perquam breviter attingit, ut vix quae origo fuerit pro certo possit affirmari velut

Arist. 390,1: *φοβοῦμαι δὲ καὶ τοὺς οἰωνούς. βλέπων μὲν εἰς τὰ μυστήρια ὡς οὐ καλῶς ἐξεφοίτησε πρὶν ἐκπλεῖν ἡμᾶς. βλέπων δ' εἰς τοὺς ἑρμᾶς ὡς διετέθησαν. κτλ.* Atheniensibus expeditionem in Siciliam suscepturis deos magna tum pericula auguriis auspiciis prodigiis portendisse tradunt Thuc. VI 27. Plut. Nic. 13. Diod. XIII 2.

372,5: *ἀλλ' εἰ προσδεῖ τοῖς ἐκεῖ βοηθείας. ὥσπερ ἔγωγε οὐκ ἀντιλέγω. πέμπειν ἥτις μετρία — καὶ τὸν Γύλιππον μὴ φοβεῖσθαι.*

---

[1]) Numeri sunt adscripti locis Aristidis: ed. Jebbiae, cuius paginae etiam in Dindorf. editionis margine sinistra inveniuntur.

στρατιὰν ἐκ τῆς Σικελίας συλλέγοντα. — κτλ. Gylippum singulas Siciliae urbes adiisse, ut copias navesque colligeret, evincitur e Thuc VII 7. 12. Plut. Nic. 19,12. Diod. XIII 8.

370,15: *ἀλλ' οἶμαι τὰ μὲν παρόντα λογισμῷ διενεγκόντες, τὸ δὲ μέλλον ταῖς ἀμείνοσι τῶν ἐλπίδων ἐπιτρέψαντες, πολλὰς μὲν ναυμαχίας αὐτοὺς κατεναυμαχήσαμεν, τελευτῶντες δὲ ἐν Πύλῳ ζῶντας λαβόντες ἠγάγομεν δεῦρο αὐτοῖς ὅπλοις.* Lacedaemonios Sphacteriae captos Athenas adductos esse referunt Thuc. IV 38. Diod. XII 63,4. Plut. Nic. VII 1.

365,1: *καὶ τοὺς ἀποστόλους οὓς ἐπέμψατε πείρας ἕνεκα τοῦ παντὸς ἐάσω.* Athenienses priusquam expeditionem susciperent legatos Egestam misisse, qui et res in insula et opes sociorum indagarent. Thuc. VI 64. Diod. XII 83 Plutarchus de legatorum missione nihil dicit.

371,5: *λέγουσι δέ τινες καὶ περὶ τῶν Ἐγεσταίων ὡς ἐψεύσαντο ἃ εἶπον περὶ τῶν χρημάτων* et similia 379,10: *τὰ δὲ Ἐγεσταίων χρήματα φροῦδα ὁμοῦ τῷ καπνῷ.* Egestaeos de pecunia danda Atheniensibus fidem non servasse Thuc. VI 46. Diod. XIII 4,3.

374,1: *ἀγανακτῶ δ' ἔγωγε. εἰ Πελοποννήσιοι μὲν οὐκ ἀποκνήσουσι ναῦς ἑτέρας πληροῦν ὑπὲρ τῶν ἐν Σικελίᾳ. ἡμεῖς δ' ὑπὲρ ἡμῶν αὐτῶν οὐ τολμήσομεν.* Peloponnesii tum in eo fuisse ut iterum Syracusanis auxilia mitterent ex nuntiis Niciae litterisque (Thuc. VII 15) cognoscitur. Idem tradit Diod. XIII 8.

382,15: *ὡς ἐγὼ δέδοικα μὲν περὶ τῷ Πειραιεῖ, συνειδὼς καὶ πρότερον πειραθέντας Πελοποννησίους εἰσπλεῦσαι κατ' ἀρχὰς ἔτι τοῦ πολέμου. πρίν τι καὶ μικρὸν ἡμῖν τοῦ ναυτικοῦ προσπταῖσαι.* Tertio belli anno Lacedaemonios nocturno impetu in Piraeum penetrare conatos esse tradunt Thuc. II 93. Diod. XII 49.

390,15: *ἐνθυμεῖσθε δ' ὡς οὐδ' ἀπὸ τῶν ἐν Κύπρῳ ποτὲ νικῶν πολλῶν καὶ μεγάλων περιεγένετο ἡμῖν αὐτήν γε κτήσασθαι τὴν Κύπρον, ἀλλ' ἀφιέντες αὐτὴν ἀνεχωρήσαμεν.* Athenienses exploratam adeptos victoriam Cyprum insulam non obtinuisse Thuc. I 112. Diod. XII, 4.

375,1: *πάντων δ' ἀτοπώτατον, εἰ Νικίας μὲν — ὅμως ἐφ' ὑμῖν τὴν αἵρεσιν πεποίηκε. δυοῖν θάτερον λείπεσθαι φάσκων, ἢ πέμπειν ἑτέρους ἢ καλεῖν σφᾶς.* et similia 381,10. cf. Thuc. VII 15. Plut.

Nic. XIX 2. Contra Diodoro auctore Atheniensibus Nicias non dedit optionem, utrum mallent novas mittere copias aut missas revocare, sed nihil aliud nisi pecuniam et auxilia ab iis petivit. Diod. XIII 8.

380,50: *τῇ τύχῃ δὲ ἐπταίκαμεν καὶ τῷ προεῖσθαι τὸ μέγιστον τῶν πλεονεκτημάτων. τοῦτο δ' ἦν ὁ καιρός. καὶ τῷ μὴ ἐπιστῆναι ταῖς Συρακούσαις ἐν ἀκμῇ τοῦ φόβου· πρὸς ταῦτα καὶ Νικίου καὶ ὅτου τις βούλεται κατηγορείτω.* Niciae cum occasionem negotii bene gerendi dimisisset, vitio vertendam esse calamitatem acceptam suo iure contendit Aristides aut Thucydidem secutus (VI 63,2) auctorem aut Plutarchum (Nic. XIV 1).

Jam subsistamus paulisper et quid inde lucremur circumspiciamus! Ex his quos attuli locis consensus apertus non solum inter Thucydidem et Aristidem evadit, sed etiam rationis aliquid hic habere videtur modo cum Plutarcho modo cum Diodoro. Quamquam incautius agat, si quis inde Aristidem concludat locos illos ex Plutarcho aut ex Diodoro (i. e. Ephoro) sumpsisse. Quod qua ratione refellatur facile intellegitur: locis omnibus, quibus aut cum Plutarcho videtur Aristides congruere aut cum Diodoro, etiam Thucydidem vidimus cum eo consentire. Sic est igitur adhuc statuendum: fieri quidem potest, ut unum vel alterum ex Plutarcho aut ex Ephoro hauserit Aristides; attamen ne unum quidem locum dum ne gravissimis testimoniis convincamur a Thucydide nobis licet abiudicare, cui cetera fere omnia deberi sequentibus illustratur. Ad hoc comprobandum quo nitamur locum anxie circumspiciamus non necesse est. In promptu habeo permultos. Initium placet capere ex Ar. 364,1 ubi haec exstant: *ποῦ γὰρ ἂν ἦ τὸ παρατείχισμα τοῦτο τὸ νῦν ἐνοχλοῦν ἐξῳκοδόμητο. μὴ τῆς ἐκ Λακεδαίμονος βοηθείας ἐπελθούσης;* Syracusanos non nullis proeliis devictos et Atheniensium munitionibus paene cinctos paulo post Gylippi adventum ut hostium circumvallationem tardarent murum simplicem extruxisse, id quod nisi Lacedaemonii succurrissent vix iis contigisset, suo iure Aristides ex Thuc. VII 11,3 sibi sumpsit, qui ipsum verbum

παρατείχισμα ei suppeditavit. Similia inveniuntur apud Plut. Nic. XIX, sed is rem tantummodo perstrinxit. Apud Diodorum nihil de hac re inveni;

ibidem: *ἢ τὴν βοήθειαν μὴ ὅτι ταύτην ἀλλά τινα σχολὴν τοῦ μεταπέμψασθαι Συρακόσιοι πότ' ἂν ἔσχον. εἴ τις ἢ τότε ἐξ ἀρχῆς ἐπέκειτο* (quae optime quadrant ad Thuc. VI 72. 73. Nic. XIV 1. XV 3), *ἢ παραγιγνομένην γε οἱ ταχθέντες ἐκώλυον. εἰ προῄσθοντο;* De adveniente Gylippo Diodorus ne verbo quidem tradit Niciam quicquam cognovisse Contra Plutarchus (Nic. XVIII.) Niciam non curasse refert Gylippi adventum neque suo tempore custodias posuisse nec quicquam fecisse ut Lacedaemonios ab urbis aditu prohiberet. Idem etiam apud Thuc. VI 104,3 legitur, qui Niciam de adventu Gylippi certiorem factum initio quidem exiguam hostium manum nullius momenti putasse neque custodias posuisse disertis verbis dicit; postea autem nuntio allato Locris esse hostes quattuor cum naves emisisse Thucydides libri VII initio (I 2) addit, et ad has quattuor naves a Nicia emissas videtur Aristidis illud *οἱ ταχθέντες* esse referendum.

364,5: *νῦν δὲ τὰ μὲν βραδύτης ἑνὸς ἀνδρὸς καὶ ὄκνος. τὰ δὲ καιροῦ τύχη βουλεύεσθαι περὶ τῶν ἑτοίμων πεποίηκεν· ἐπεὶ τοῖς γε ὅλοις ὁπόσῳ τινὶ κρείττους γεγενήμεθα καὶ Νικίας αὐτὸς μαρτυρεῖ.* Syracusanos initio maiore proeliorum parte superatos esse Nicias Atheniensibus per litteras refert Thuc. VII 11,2.

365,10 *τό τε γὰρ μέγεθος τῆς νήσου καὶ ὁ περίπλους ἆθλόν ἐστι τοῦ τολμήματος ἄξιον τό τε συμμίκτους εἶναι τοὺς ἔχοντας αὐτὴν* (sc. *Σικελίαν*) *καὶ μὴ ταὐτὸν φρονεῖν πρὸς ἡμῶν ἐστιν. Ἓν μὲν γὰρ ὄντες γένος πάντες χαλεποὶ καὶ παραπεῖσαι καὶ βιάσασθαι διὰ τέλους ἂν ἦσαν. σύγκλυδες δὲ καὶ πανταχόθεν συμπεφορημένοι συμμάχων οὐχ ἧττον ἡμῖν ἔχουσι τάξιν ἢ πολεμίων.* Siculos conluviem esse undique coactam et mixtam nullaque cognatione naturae neque consensu iunctam, id quod maxime consilia Atheniensium iuvet, Thucydides Alcibiadem facit dicentem, cuius verba in usum suum Aristides vertisse videtur paulisper mutata et exaggerata. Sed exscribatur locus, ut ipse iudices (VI 17,2): *ὄχλοις τε γὰρ συμμίκτοις πολυανδροῦσι αἱ πόλεις. καὶ ῥᾳδίας*

ἔχουσι τῶν πολιτειῶν τὰς μεταβολὰς καὶ ἐπιδοχάς. Καὶ οὐδεὶς δι' αὐτὸ ὡς περὶ οἰκείας πατρίδος οὔτε τὰ περὶ τὸ σῶμα ὅπλοις ἐξήρτυται οὔτε τὰ ἐν τῇ χώρᾳ νομίμοις κατασκευαῖς. Ὅ τι δὲ ἕκαστος ἢ ἐκ τοῦ λέγων πείθειν οἴεται ἢ στασιάζων ἀπὸ τοῦ κοινοῦ λαβὼν ἄλλην γῆν, μὴ κατορθώσας, οἰκήσειν, ταῦτα ἑτοιμάζεται. Καὶ οὐκ εἰκὸς τὸν τοιοῦτον ὅμιλον οὔτε λόγου μιᾷ γνώμῃ ἀκροᾶσθαι οὔτε ἐς τα ἔργα κοινῶς τρέπεσθαι. Ταχὺ δ' ἂν ὡς ἕκαστοι, εἴ τι καθ' ἡδονὴν λέγοιτο, προσχωροῖεν, ἄλλως τε καὶ εἰ στασιάζουσιν, ὥσπερ πυνθανόμεθα. Κτλ. et ibidem § 6: *τά τε οὖν ἐκεῖ, ἐξ ὧν ἐγὼ ἀκοῇ αἰσθάνομαι, τοιαῦτα καὶ ἔτι εὐπορώτερα ἔσται. Βαρβάρους γὰρ πολλοὺς ἕξομεν οἳ Συρακοσίων μίσει ξυνεπιθήσονται αὐτοῖς.*

368,1: *οὐδὲ γὰρ τότε ταῖς σπονδαῖς ταῖς πρὸς Λακεδαιμονίους θαῤῥοῦντες ἐπέμπομεν.* Quod secundum Thuc. VI 10,1 conscriptum videtur esse, ubi Nicias populum a proposito revocare studet verbis fere hisce: Athenienses opinari fortasse foedera quae inissent aliquid firmitudinis habere, quae quidem verbo tenus, dum quiescerent, foedera manerent, sed clade aliqua Atheniensibus illata hostes celeriter in Atticam invasuros, quippe qui propter acceptas clades vi necessitatis coacti cum maiore quam Athenienses dedecore de compositione egissent.

369,10: *νῦν δὲ τί ἡμῖν ἔδοξεν ἀπ' ἀρχῆς; ἐκείνους μὲν ἐμβάλλειν ἐὰν αὐτοὺς δὲ ταῖς ναυσὶ χρῆσθαι, καὶ τῆς μὲν γῆς δῃουμένης μὴ προτιμᾶν, πολλὴν ἔχοντας τὴν ἄλλην, τῇ Πελοποννήσῳ δ' ἐγκεῖσθαι κτλ.* Haec referenda sunt ad Periclis verba, quae inveniuntur ap. Thuc. I 143,4: Athenienses, si pedestri exercitu Peloponnesii in Atticam invaderent, in illorum fines classe incursiones facturos. Neque iacturam fore aequalem, si Peloponnesi aliqua pars, et Attica tota vastaretur. Illis enim nullum alium fore agrum, quem pro vastato sine proelio occuparent, Atheniensibus vero et in insulis et in continente latum esse agrum. Magnam enim rem esse maris imperium.[1]) Similia quidem exstant apud Diod.

[1]) Thuc. I 143,4: *ἤν τ' ἐπὶ τὴν χώραν ἡμῶν πεζῇ ἴωσιν, ἡμεῖς ἐπὶ τὴν ἐκείνων πλευσούμεθα, καὶ οὐκέτι ἐκ τοῦ ὁμοίου ἔσται*

XII 43 et apud Plutarch. Pericl. 33, sed cum Thucydide multo artius concinere Aristidem hoc loco quam cum Diodoro aut cum Plutarcho qui obiter perlustraverit allatos locos concedet.

369,20: *καὶ μὴν εἰ τὸν Ἑλλήσποντον περὶ πλείονος τῆς Ἀττικῆς ποιούμεθα τῆς σιτοπομπίας ἕνεκα, πόσῳ τοῦ γε Ἑλλησπόντου Σικελίαν εἰκός; ὁ μέν γε τῶν ἐκ τοῦ Πόντου πλοίων τὴν παραπομπὴν ἡμῖν ἔχει, ἡ δ' ἀντ' ἀμφοῖν τῶν χωρίων τούτων γίγνεται· τῶν γὰρ ἐξ ἁπάσης τῆς Σικελίας τὴν κομιδὴν ἀσφαλῆ μέχρι τοῦ Πειραιῶς ἔχει.* Quae exscripsi equidem non dubito quin ad Thuc. VI 90,4referenda sint, ubi Alcibiades Athenienses sperasse dicit Siciliam sibi adiunctam abunde suppeditaturam esse pecuniam et commeatum hisce verbis: *χρήματα δὲ καὶ σῖτον, ὥστε εὐπορώτερον γίγνεσθαι τι αὐτῶν, αὐτὰ τὰ προσγενόμενα ἐκεῖθεν χωρία ἔμελλε διαρκῆ ἄνευ τῆς ἐνθένδε προσόδου παρέξειν.* Quo loco licet consensus non ita perspicuus sit: imitatum esse Aristidem hanc singularem Alcibiadis orationem quo probetur unus praesto est locus, qui omnem commentandi operam supervacaneam reddat; dico Arist. 384,5: *ἡ γὰρ παρενθήκη τοῦ πολέμου κινδυνεύει μείζων τοῦ κεφαλαίου ἡμῖν καθίστασθαι. οἵτινες ἀξιοῦμεν Σικελίαν καὶ Ἰταλίαν καὶ Καρχηδόνα καὶ μικροῦ δεῖν πάντας ἀνθρώπους ὑποχειρίους ποιήσασθαι, ἵν' αὐτοὺς δεῦρο κομίσαντες τὴν Πελοπόννησον παραστῶμεν.* Haec primo obtutu apparet optime quadrare ad ea, quae de insolentissimis Atheniensium consiliis Alcibiadem Lacedaemone dicentem facit Thuc. VI 90,1: In Siciliam eo consilio Athenienses transiisse, ut non solum Sicilienses in potestatem suam redigerent, sed etiam Italos et eos qui Carthaginiensium imperio parerent. Quod si prospere successisset, tum vero Peloponnesum aggredi statuisse Athenienses universis Graecorum copiis adductis multisque barbaris undique coactis. — Similia quidem exstant cum apud Isocr. VIII 85 tum apud Plutarchum,

---

Πελοποννήσου μέρος τι τμηθῆναι καὶ τὴν Ἀττικὴν ἅπασαν. Οἱ μὲν γὰρ οὐχ ἕξουσιν ἄλλην ἀντιλαβεῖν ἀμαχεί. ἡμῖν δ' ἐστὶ γῆ πολλὴ καὶ ἐν νήσοις καὶ κατ' ἤπειρον. Μέγα γὰρ τὸ τῆς θαλάσσης κράτος.

qui loco illo celeberrimo (Nic. XII 2) non praemium victoriae Siciliam, sed belli arcem fore Athenienses sperasse dicit, unde Carthaginiensibus subactis Africam essent mareque internum omne in suam potestatem redacturi. Sed ad Peloponnesum obsidendam universas illas copias congerere Athenienses voluisse unus Thucydides disertis verbis dicit.

370,5: *ἐνέκειτο δὲ ὁ λοιμός. — πάντα δ' ἦν μεστὰ καπνοῦ, πυρκαϊᾶς, φθορᾶς τῆς μὲν ἔξω, τῆς δὲ ἔνδον κατὰ τὴν πόλιν.* quae verba haud scio an scripserit Aristides loci Thucydidis memor huius (II 54): *τοιούτῳ μὲν πάθει οἱ Ἀθηναῖοι περιπεσόντες ἐπιέζοντο, ἀνθρώπων ἔνδον θνησκόντων καὶ γῆς ἔξω δῃουμένης.*

378,10: *τότε μὲν γὰρ καὶ σπονδῶν οὐσῶν πρὸς Λακεδαιμονίους καὶ τὸν οἴκοι πόλεμον νενικηκότες λαμπρῶς ἐν ἐρημίᾳ πολεμίων ὄντες εἰκότως ἐτρυφῶμεν —.* Atheniensium rem publicam cum Syracusanis esset bellum illatura, iam tum et ex morbo et ex assiduo bello recreatam fuisse ita ut et iuventute floreret et divitiis abundaret propter indutias; quo factum esse ut omnia facilius compararentur tradit Thuc. VI 26,2,

380,1: *ἃ γὰρ εἰς τὴν σωτηρίαν ὑπάρχειν ἀποκείμενα χρῆν τῇ πόλει, ταῦτ' ἀπολέξαντες ὑπὲρ τῆς τῶν Ἐγεσταίων καὶ Λεοντίνων σκιᾶς εἰς τὰ πρὸς ἑσπέραν τῆς οἰκουμένης ἀπεστείλαμεν.* Hoc argumentum repetitum esse puto ex Niciae oratione a Thucydide (VI 12,1) allata, ubi haec fere exstant: Athenienses meminissent modo se ac paulo ante e gravi morbo et ex bello paulum esse recreatos, ut et opibus et hominum numero florerent; sed aequum esse ea in ipsorum salute consumi, non exsulum illorum qui auxilium peterent.

381,5: *δημηγορῶν τε γάρ, ὦ Ἀθηναῖοι, βουλόμενος τῆς στρατείας ὑμᾶς ἀποτρέψαι πλῆθος ᾔτησε* (sc. *Νικίας*) *τοσοῦτον ὅσον ἥκιστ' ἂν ὑμᾶς ᾠήθη δοῦναι, ἵν' ἐκ τούτου πρὸς τὴν ἀναγκαίαν ἡσυχίαν τράπησθε.*

Quae exscripsi Aristidis verba manasse puto ex Thuc. VI 19,2, qui Niciam permagnum belli apparatum civibus imperasse tradit spe adductum fore, ut sic a funestis illis consiliis deterrerentur.[1])

[1]) Thuc. VI 19,2: *καὶ ὁ Νικίας γνοὺς ὅτι ἀπὸ μὲν τῶν*

387,5: *καὶ μὴν καὶ Ἀχαΐαν γε καὶ ἕτερα μέμνησθε ἀποδόντες Πελοποννησίοις ὑπὲρ εἰρήνης.* Quae verba referenda sunt ad pacem quae dicitur triginta annorum, quam Athenienses anno a. C. n. 445 cum Lacedaemoniis fecerunt. Pacem autem factam esse Thucydides (I 115) tradit ea conditione, ut Athenienses Lacedaemoniis ea redderent, quae in Peloponneso occupassent. Itaque Atheniensibus quattuor urbes reddendae erant, Nisaea Achaia Pegae Troezen, e quibus una hic ab Aristide commemoratur. Eandem rem saepius tetigit, exempli gratia I 157,5, I 169,15, II 149,5, de quibus locis copiosius disputavit Ferdinandus Schroeder (Thucydidis historiarum memoria p. 36).

390,5: *ἀναμιμνήσκομαι δὲ καὶ τῆς εἰς Αἴγυπτον στρατείας, ἣν καλῶς οὗτος[1]) ἀρτίως περιέστελλεν. ἡ διακοσίας ἡμῶν τριήρεις παρείλετο. καὶ ταῦτ᾽ ἐχόντων μοῖραν ἤδη Αἰγύπτου οὐκ ἐλάττω τῆς πάσης Σικελίας· καὶ οὐδ᾽ ἐνταῦθα ἔστημεν, ἀλλὰ χρόνου διελθόντος ᾤχοντο ἕτεραι πεντήκοντα βοηθοὶ ταῖς ἐκεῖ, καὶ οὐδ᾽ ἐκείνας οὐδὲν ὤνησαν καὶ αὐτοὶ προσαπώλοντο ἐπιθήκην.* Expeditionis in Aegyptum factae exitum calamitosum tractat Thuc. I 109, 110. De eadem re agit Isocrat. VIII 86 et Diod. XI 74 sqq., quorum neutrum neque Ephorum hoc loco auctorem fuisse Aristidi inde concludam, quod ne uno quidem verbo quinquaginta naves devictis Atheniensibus domo commemoratur auxilio venisse. Numero hic recte refert Aristides Atheniensium naves fuisse ducentas, quare quem alio loco (I 371, 20) tradunt codices numerum corrigendum esse puto lenissima emendatione (pro *τριακοσίαις καὶ ἔτι πλείοσιν* scribendum est *διακοσίαις κτλ.*).

Huc accedunt tectae significationes quas nisi quis in Thucydide versatur vix intellegere potest velut 389,15: *ἅμα μὲν γὰρ οὐ πρὸς ἴσας ναῦς προσποιοίμεθ᾽ αὐτῶν. — ἅμα δ᾽ οἶμαι αὐτῶν λόγων οὐκ ἂν ἔτι ἀποτρέψειεν. παρασκευῆς δὲ πλήθει, εἰ πολλὴν ἐπιτάξειεν, τάχ᾽ ἂν μεταστήσειεν αὐτούς. παρελθὼν αὖθις ἔλεγε τοιάδε.* Similia VI 24 1.

[1]) i. e. adversarius, qui prior dixit.

τὸν νόμον εἴσονται (sc. Συρακόσιοι) τῶν ὑπερορίων καὶ μεγάλων στρατειῶν· ᾧ περιέπεσε μὲν ὁ Περσῶν βασιλεὺς ὁ δεῦρο στρατεύσας. περιέπεσον δὲ Καρχηδόνιοι διαβάντες εἰς Σικελίαν μυριάσι πολλαῖς καὶ πεζῆς καὶ ναυτικῆς δυνάμεως. Οὐ γὰρ ὁμοίως τά τε οἰκεῖα φυλάττειν δυνατὸν καὶ τοὺς μακρὰν ἀφεστῶτας χειροῦσθαι. ἀλλ' ἀκολουθεῖ τις νέμεσις τῷ τολμήματι. Syracusas nuntio allato Athenienses cum ingenti classe adventare convocata contione Hermocrates Hermonis filius cives rebus suis diffidentes argumentis confirmat et rationibus ex ipsa magnarum expeditionum maritimarum natura repetitis: paucas aut Graecorum aut barbarorum magnas classes procul a patria profectas rem feliciter gessisse. Sed ipse conferas quaeso Thuc. VI 33,5: ὀλίγοι γὰρ δὴ στόλοι μεγάλοι ἢ Ἑλλήνων ἢ βαρβάρων πολὺ ἀπὸ τῆς ἑαυτῶν ἀπάραντες κατώρθωσαν. et paulo infra § 6: ὅπερ καὶ Ἀθηναῖοι αὐτοὶ οὗτοι. τοῦ Μήδου παρὰ λόγον πολλὰ σφαλέντος. ἐπὶ τῷ ὀνόματι ὡς ἐπ' Ἀθήνας ᾔει ηὐξήθησαν. καὶ ἡμῖν οὐκ ἀνέλπιστον τὸ τοιοῦτο ξυμβῆναι. Huc spectare equidem puto Aristidis illud εἴσονται τὸν νόμον τῶν ὑπερορίων καὶ μεγάλων στρατειῶν. Sed his ex Thucydide depromptis ut saepius hoc quoque loco inseruit quaedam aliunde repetita: etenim altero quidem exemplo Hermocrates quoque loco allato utitur, alterum quod ad praeclaram illam Gelonis victoriam respicit, aut ex Herodoto (VII 165) aut aliunde hausit. Quae secuntur Aristidis verba (385,15): ἃ καὶ Λακεδαιμόνιοι γιγνώσκοντες οὐδὲν οὕτως ὡς τὰς διὰ πολλοῦ στρατείας φυλάττονται. Καὶ γάρ τοι τῶν Ἑλλήνων οὐκ ἐλάχιστον δύνανται τὰς κατὰ μικρὸν πλεονεξίας συλλέγοντες — fortasse manarunt ex Thucydidis locis velut I 70 aliis, quibus exstat descriptio Lacedaemoniorum.

Arist. 371,20.	Thuc. I 105,4 sqq.
Ἦν γάρ ποτε χρόνος, ὦ Ἀθηναῖοι, ὅθ' οἱ μὲν τὴν βασιλέως κακῶς ἡμῶν ἐποίουν τριήρεσι διακοσίαις (cf. ad 390,5) καὶ ἔτι πλείοσιν, οἱ	Καὶ ἐς τὴν Μεγαρίδα κατέβησαν Κορίνθιοι μετὰ τῶν ξυμμάχων, νομίζοντες ἀδυνάτους ἔσεσθαι Ἀθηναίους βοηθεῖν τοῖς Μεγαρεῦσιν ἔν τε Αἰγίνῃ ἀπούσης στρατιᾶς πολλῆς καὶ ἐν Αἰγύπτῳ·

δὲ Αἰγίνῃ προσεκάθηντο. Κορίνθιοι δ' ἐπαρθέντες ἧκον εἰς Μέγαρα, ὡς ἢ κινήσοντες τοὺς ἐπ' Αἰγίνῃ, ἢ Μεγαρέας αἱρήσοντες ἐρήμους βοηθῶν. Ἡμεῖς δὲ τρίτην στρατιὰν ἐξεύρομεν, ἧς ἦρχε Μυρωνίδης· οὗτοι δ' ἦσαν οἱ πρεσβύτατοι καὶ νεώτατοι τῶν ἐν τῇ πόλει, καὶ συμβαλόντες Κορινθίοις ἐκρατοῦμεν πρὸ Μεγάρων. Καὶ πάλιν ὡς ἠγαίνοντο, ἑτέραν τὴν περὶ τοῦ τροπαίου.

ἢν δὲ καὶ βοηθῶσιν, ἀπ' Αἰγίνης ἀναστήσεσθαι αὐτούς. Οἱ δὲ Ἀθηναῖοι τὸ μὲν πρὸς Αἰγίνῃ στράτευμα οὐκ ἐκίνησαν, τῶν δ' ἐκ τῆς πόλεως ὑπολοίπων οἵ τε πρεσβύτατοι καὶ οἱ νεώτατοι ἀφικνοῦνται ἐς τὰ Μέγαρα Μυρωνίδου στρατηγοῦντος. Καὶ μάχης γενομένης ἰσορρόπου πρὸς Κορινθίους διεκρίθησαν ἀπ' ἀλλήλων, καὶ ἐνόμισαν αὐτοὶ ἑκάτεροι οὐκ ἔλασσον ἔχειν ἐν τῷ ἔργῳ. Καὶ οἱ μὲν Ἀθηναῖοι (ἐκράτησαν γὰρ ὅμως μᾶλλον) ἀπελθόντων τῶν Κορινθίων τρόπαιον ἔστησαν. Οἱ δὲ Κορίνθιοι — ἐλθόντες ἀνθίστασαν τροπαῖον καὶ αὐτοὶ ὡς νικήσαντες. Καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ἐκβοηθήσαντες ἐκ τῶν Μεγάρων τούς τε τὸ τροπαῖον ἱστάντας διαφθείρουσι καὶ τοῖς ἄλλοις ξυμβαλόντες ἐκράτησαν.

De eadem re quae apud Diodorum legimus, valde abhorrere puto ab Aristide. Sed ipse iudices si placet: (XI 79) *ἐπὶ δὲ τούτων Κορινθίοις καὶ Μεγαρεῦσι περὶ χώρας ὁμόρου γενομένης ἀμφισβητήσεως, εἰς πόλεμον αἱ πόλεις ἐνέπεσον. Τὸ μὲν οὖν πρῶτον ἀλλήλων τὴν χώραν διετέλουν λεηλατοῦντες καὶ κατ' ὀλίγους συμπλοκὰς καὶ μάχας ποιούμενοι μικράς. αὐξομένης δὲ τῆς διαφορᾶς οἱ Μεγαρεῖς ἀεὶ μᾶλλον ἐλαττούμενοι καὶ τοὺς Κορινθίους φοβούμενοι συμμάχους ἐποιήσαντο τοὺς Ἀθηναίους. Διὸ καὶ πάλιν τῶν πόλεων ἐφαμίλλων ταῖς δυνάμεσι γενομένων, καὶ τῶν Κορινθίων μετὰ Πελοποννησίων ἀξιολόγῳ δυνάμει στρατευσάντων εἰς τὴν Μεγαρικήν, Ἀθηναῖοι συμμαχίαν ἔπεμψαν τοῖς Μεγαρεῦσιν, ἧς ἡγεῖτο Μυρωνίδης, ἀνὴρ ἐπ' ἀρετῇ θαυμαζόμενος· γενομένης δὲ παρατάξεως ἰσχυρᾶς ἐπὶ πολὺν χρόνον, καὶ ταῖς ἀνδραγαθίαις ἑκατέρων ἐξισουμένων, τὸ τελευταῖον ἐνίκησαν καὶ πολλοὺς ἀνεῖλον τῶν πολεμίων. Μετὰ δ' ὀλίγας ἡμέρας πάλιν γενομένης ἰσχυρᾶς μάχης ἐν τῇ λεγομένῃ Κιμωλίᾳ, πάλιν ἐνίκησαν Ἀθηναῖοι καὶ πολλοὺς ἀνεῖλον τῶν πολεμίων.* Attulisse satis habeo et Thucydidis et Diodori verba huc respicientia, ut primo obtutu quo ex fonte Aristides sua hauserit

videatur. Neque I 155 ubi de eadem re disputavit minus accurate auctorem suum secutus est, quamquam hoc loco magis cum Diodoro quam cum Thucydide congruere eum Jacobus Haury (Quibus fontibus Ar. usus sit in declamatione quae inscribitur *Παναθηναϊκός*. p. 22) comprobare nobis studet verbis hisce: „Nam et ordo rerum idem est Arist. I 269 (Jebbiae ed. I 155,5) atque Diod. XI 79 et verba similia. cf. Diod. XI 79 *πάλιν ἐνίκησαν Ἀθηναῖοι.* Aristides *ἐνίκων αὖθις ἑτέραν.* Thucydides neque de victoriis certis loquitur, neque vocabulis *πάλιν* vel *αὖθις* utitur." — Vanae viri docti hariolationes vix quae refutentur dignae. Ordinem rerum sane eundem servant Diodorus et Aristides, sed apud Thucydidem quoque nonne idem ordo? Porro non de victoriis certis loqui Thucydidem vir ille doctus dicit, quamquam de altera victoria apud eum exstant verba: *καὶ οἱ Ἀθηναῖοι — τούς τε τροπαῖον ἱστάντας διαφθείρουσι καὶ τοῖς ἄλλοις ξυμβαλόντες ἐκράτησαν.* de altera *ἐκράτησαν γὰρ ὅμως μᾶλλον* (sc. *οἱ Ἀθηναῖοι*).

Adde quod in universum Aristides verbum *νικᾶν* usurpat, quod etiam ad res a Thucydide traditas optime quadrare nemo neget. Deinde quia duorum scriptorum, quorum uterque duplicis victoriae mentionem facit, alter utitur verbis *πάλιν ἐνίκησαν Ἀθηναῖοι.* alter *ἐνίκων αὖθις ἑτέραν.* num propterea ex eodem uterque eorum fonte hausit? Tantum concludere ex talibus rebus pusillis mihi videtur esse temeritatis. Vocabulis *πάλιν* quidem vel *αὖθις* Thucydidem hic non esse usum recte vidit vir doctus, sed quid hoc sibi vult? Numquid hac re comprobari potest? At contra muros exstruxisse Athenienses Megarensibus Thucydides et Aristides referunt, Diodorus ne verbo quidem commemorat; duodecim diebus post cladem priorem Corinthios alteram accepisse, cum ipsi quoque ut victores tropaeum ponerent, apud Thucydidem et apud Aristidem videmus scriptum, Diodorus neque dierum numerum neque alterum proelium de tropaeo commissum esse tradit. Diversissima ad extremum non solum de causa belli statuunt

ab hac parte Thucydides et Aristides, ab illa Diodorus, sed etiam hic silentio praeterit senes fuisse et adulescentulos Atheniensium, qui Myronide duce praeclaras illas a Corinthiis sociisque victorias reportarent. Quid plura? Thucydide uno hic quoque usum esse Aristidem luce clarius apparet.

380,1: *ἀλλὰ φοβοῦμαι μὲν εἰπεῖν, ἐξάγομαι δέ. ἐξελύσαμεν, ὦ Ἀθηναῖοι, τὸν κατάλογον καὶ τὰς συντάξεις πέρα τοῦ καιροῦ διεσείσαμεν.* Hoc nusquam quantum scio scriptum invenitur. Sed Thucydides (VI 31,3) disertis verbis refert peditatum conscriptum esse delectu accuratissime habito et similia exstant VI 26,2. Ultro igitur videtur Aristides illa addidisse, praesertim cum sociorum tributa, quibus bello Peloponnesiaco *φόροι* nomen erat, *συντάξεις* falso appellet.

367,5: *μὴ γὰρ οἴεσθε Συρακοσίους μὲν ἐπελθόντος Γυλίππου δυοῖν τριήροιν ἀναθαρρῆσαι κτλ.* Quattuor navium fuisse Gylippi classem Diod. XIII 7 tradit. Plutarchus navium numerum non commemorat. Unus Thucydides (VI 104,1) accuratius refert cum duabus navibus Laconicis et totidem Corinthiis Gylippum et Pythenem Corinthium mari Ionico pervectos esse. Aristidis igitur illud *δυοῖν τριήροιν* unde repetitum sit, non est satis perspicuum; errori non tribuam. Aut valde fallor aut consilio Aristides Corinthiorum naves neglegens Laconicas solum triremes argutius sane hic tangit, quae deminutio rhetorica optime ad loci sensum quadrat.

378,15: *νῦν δὲ ὁρᾶτε μὲν δήπου τοὺς πολεμίους ἀπὸ τοῦ τείχους, ἀντὶ δὲ ὀχληροῦ κἀκείνου καὶ βαρέος, τοῦ καθ᾽ ἕκαστον ἔτος ἐμβάλλειν εἰς τὴν χώραν, ἵδρυνται συνεχῶς ἐπὶ ταῖς πύλαις καὶ περιέστηκεν, εἰ δεῖ μὴ ληρεῖν, ἀκριβὴς πολιορκία*; et paulo infra: *οἰκέται δ᾽ αὐτομολοῦσιν ὁσημέραι, τοσούτοις δὲ τοῖς πᾶσιν ἐλάττους γεγόναμεν, ὅσοις ἱκανῶς ἡ μεγίστη μεθ᾽ ἡμᾶς πόλις κατεσκεύαστο·* Haec conferantur eis quae Thucydides de eadem re tradit: sunt enim nonnulla quae quandam similitudinem prae se ferant. Atque Deceleae munitionem — nam ad unam Deceleam quae exscripsi verba spectare luculenter apparet — Athenas usque conspicuam fuisse dicit Thuc. VII 19,2.

(ἐπιφανὲς μέχρι τῆς τῶν Ἀθηναίων πολέως). Munita autem Decelea quanta vulnera rei publicae Atheniensium inflicta sint, copiosius disserit Thuc. VII 27,3 sqq: priores quidem irruptiones, cum non diuturnae essent, non impedivisse, quo minus reliqua anni parte fructus ex agro perciperentur; tum vero, cum hostes perpetuo assiderent, Athenienses gravissima accepisse detrimenta; nam et universo agro privatos eos esse et servitiorum amplius viginti milia ad hostes transisse. Quem Thucididis locum non dubito statuere Aristidem hac in re narranda esse imitatum. — Sed liceat mihi hic aliam quaestiunculam adiungere! Loco allato atque multis aliis, cf. 368,10, 369,15, 370,1, declamationes Siculas fingit Aristides habitas esse post Deceleam munitam. Contra Thucydides — et Diodorus et Plutarchus eundem temporum ordinem servant — VII 10,1 hieme anni belli duodevicesimi epistolam Niciae tradit Athenas advenisse. Ubi primum autem recitatae sunt litterae (ἀκούσαντες αὐτῆς VII 16,1), statim Athenienses subsidia illi mittere constituunt. Atque re vera Eurymedon cum decem navibus iam bruma (περὶ τοῦ ἡλίου τροπὰς τὰς χειμερινάς l. c.) in Siciliam mittitur centum viginti talenta et nuntium allaturus plus auxilii brevi esse secuturum. Deceleam autem a Lacedaemoniis sociisque sequenti vere, anno belli undevicesimo, munitam esse Thucydides VII 19,1 tradit. Ergo ante munitam Deceleam Athenienses Thucydide auctore auxilium Niciae ferendum decreverunt. Quamquam Demosthenes cum sexaginta navibus post Deceleam munitam in Siciliam profectus est; sed antea iterum advocatam esse contionem nullo loco scriptum videmus. Immo Thucydides VII 20,2 Athenienses quemadmodum statuissent (ὥσπερ ἔμελλον) misisse dicit Demosthenem. Immutavit igitur consulto Aristides temporum ordinem a Thucydide Diodoro (i. e. Ephoro) Plutarcho traditum, non erravit. Etenim accuratius Thucydidis eum et vidisti et infra videbis librum legisse quam ut tantus ei error possit vindicari. Neque vero Aristidem, quem

summa, ne dicam ineptissima religione ad Demosthenis exemplum suam formasse constat elocutionem, quem non res solum sed ipsa verba saepissime apparet ex Thucydide hausisse, eum fuisse qui suo arbitrio temporum ordinem a scriptoribus traditum omnibus perrumperet Schwartzius me docuit magister doctissimus. Sed alium hic sibi sumpsit ducem et auctorem. Exstant enim duo oratores Attici, Isocratem dico et Aeschinem, qui Decelea ab hostibus munita infelicem illam expeditionem ab Atheniensibus susceptam esse referunt. Conferas si placet Isocr. VIII (*περὶ εἰρήνης*) 84, ubi haec leguntur: *εἰς τοῦτο γὰρ κατέστησαν τῶν μὲν οἰκείων ἀμελείας, τῶν δ' ἀλλοτρίων ἐπιθυμίας, ὥστε Λακεδαιμονίων εἰσβεβληκότων εἰς τὴν χώραν καὶ τοῦ τείχους ἤδη τοῦ Δεκελειᾶσιν ἑστηκότος εἰς Σικελίαν τριήρεις ἐπλήρουν, καὶ οὐκ ᾐσχύνοντο τὴν μὲν πατρίδα τεμνομένην καὶ πορθουμένην περιορῶντες, ἐπὶ δὲ τοὺς οὐδὲν πώποτ' εἰς ἡμᾶς ἐξαμαρτόντας στρατιὰν ἐκπέμποντες κτλ.* et Aeschin. II (*περί παραπρεσβείας*) 76: *τὴν δ' εἰς Σικελίαν στρατείαν φυλάττεσθαι, ἣν ἐξέπεμψαν Λεοντίνοις βοηθήσοντες τῶν πολεμίων ἐμβεβληκότων εἰς τὴν χώραν ἡμῶν καὶ Δεκελείας ἐπιτετειχισμένης* —. Quorum utrum secutus sit auctorem Aristides, diiudicari nequit, cum et Isocratem et Aeschinem adhibitum ab eo esse constet. Hoc autem pro certo statuam, aut Isocratis aut Aeschinis exemplo commotum neglexisse eum historiae fidem. Atque consilio hoc fecit Aristides. In altera enim suasoria calamitates illas quas Decelea munita Atheniensium rei publicae illatas esse constat gravissimas praedicat, ut subsidia Niciae submitti dissuadeat, in altera callida et acutula argumentatione paratas a se ipse studet difficultates frangere et debilitare.

Complectamur quae adhuc disputata sunt: quamquam iudicium nostrum de singulis non tam certum est quam optamus, tamen satis multa constare videntur, ut in universum rem spectantibus nobis timendum non sit, ne Thucydidem ex omnibus fuisse Aristidi auctorem gravissimum falso iudicemus. Ab omni autem parte quod ponimus ut firmetur, circumspiciamus num inveniantur,

quae hoc ita comprobent, ut dubitationi locus non relinquatur. Proferentur autem eius modi argumenta, quorum vis deleri nequeat. Initium sumam ab Arist. 383,15: *ὅτι δ' αὐτὸς οὗτος ἀνὴρ Περικλῆς ὁ ταῦτα πείθων κἀκεῖνο συνέπειθεν, ἀρχὴν μὴ ἐπικτᾶσθαι παρὰ τὸν πόλεμον, τοῦτο οὐ βούλονται μεμνῆσθαι, πάντων μάλιστα εἰκὸς ὄν.* Utitur hoc loco Aristides ipsis verbis Periclis a Thucydide traditis. Quod ut demonstrem, satis est attulisse locum qui huc spectat Thucydideum (I 144,1 : *πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα ἔχω ἐς ἐλπίδα τοῦ περιέσεσθαι, ἢν ἐθέλητε ἀρχήν τε μὴ ἐπικτᾶσθαι ἅμα πολεμοῦντες καὶ κινδύνους αὐθαιρέτους μὴ προστίθεσθαι.* Consensus evadit apertus. Similia exstant apud Plutarchum Pericl. 20. 21., sed eadem verba apud unum inveniuntur Thucydidem.

Alter quo nitimur locus est 371,5: *εἰ δὲ τὸ μὲν σχῆμα τῆς στρατείας Ἐγεσταῖοι καὶ Λεοντῖνοι παρεῖχον, οἱ δὲ κρατῆρες ἄλλο τι βουλομένων ἦσαν καὶ ἡ μέχρι Αἰγίνης ἅμιλλα, τί ταῦτα ληροῦμεν.* Hic locus lucem accipit ex Thuc. VI 32, ubi classis profectio describitur verbis fere hisce: cum naves militibus completae essent omniaque iam imposita, quae secum erant laturi, tuba silentium indictum est, et vota consueta ante profectionem non in singulis navibus, sed universi per praeconis vocem nuncupabant et crateras miscentes et aureis argenteisque poculis libantes. Cum vero paeana cecinissent et libamenta fecissent, e portu solvebant et primo longa navium serie navigantes usque ad Aeginam cursum certatim tenebant. Sed exscribantur Thucydidis quae huc spectant verba necesse est, ut illustretur, quali vinculo Aristides cum illo sit coniunctus (VI 32) *ἐπειδὴ δὲ αἱ νῆες πλήρεις ἦσαν καὶ ἐσέκειτο πάντα ἤδη ὅσα ἔχοντες ἔμελλον ἀνάξεσθαι, τῇ μὲν σάλπιγγι σιωπὴ ὑπεσημάνθη, εὐχὰς δὲ τὰς νομιζομένας πρὸ τῆς ἀναγωγῆς οὐ κατὰ ναῦν ἑκάστην, ξύμπαντες δὲ ὑπὸ κήρυκος ἐποιοῦντο, κρατῆράς τε κεράσαντες κτλ.* et paulo infra (2) *παιωνίσαντες δὲ καὶ τελεώσαντες τὰς σπονδὰς ἀνήγοντο, καὶ ἐπὶ κέρως τὸ πρῶτον ἐκπλεύσαντες ἅμιλλαν ἤδη μέχρι Αἰγίνης ἐποιοῦντο.* Huius loci memorem fuisse Aristidem ipsa verba documento sunt.

Addere placet 365,5: *ἀλλ' ἡνίκα τὸν μέγαν τουτονὶ στόλον πέμπειν διενοούμεθα, τίς λόγος οὐκ ἐρρήθη παρ' ἡμῖν; ἢ τίνι τῶν πάντων εἰπεῖν οὐκ ἀπεδώκαμεν; οἳ καὶ τὸ τελευταῖον περὶ τῆς παρασκευῆς αὐτῆς ἐκκλησίαν ποιοῦντες, παρελθόντος Νικίου καὶ πάλιν ἀντιλέγοντος ἐξ ἀρχῆς σχεδὸν ταῦτ' ἅπερ καὶ νῦν ἐν τοῖς γράμμασιν, ὡς ἡ Σικελία πολλὴ καὶ οὔτε λαβεῖν ῥᾳδία οὔτε κατασχεῖν, ἐὰν ἄρα κτησώμεθα.* Contione rursus de classe exornanda bellique apparatu convocata denuo Niciam ut a proposito cives revocaret in publicum processisse tradit Thuc. VI 8,3: *μετὰ δὲ τοῦτο ἡμέρᾳ πέμπτῃ ἐκκλησία αὖθις ἐγίγνετο, καθ' ὅ τι χρὴ τὴν παρασκευὴν ταῖς ναυσὶ τάχιστα γίγνεσθαι κτλ. καὶ ὁ Νικίας — παρελθὼν ἀποτρέψαι ἐβούλετο καὶ παρῄνει τοῖς Ἀθηναίοις τοιάδε.* In ipsa autem contione cum dicentem facit (VI 9,3) docturum se cives praeproperam esse festinationem, neque facile obtineri posse ea, ad quae contenderent: *ὡς δὲ οὔτε ἐν καιρῷ σπεύδετε οὔτε ῥᾴδιά ἐστι κατασχεῖν ἐφ' ἃ ὥρμησθε, ταῦτα διδάξω*, atque in epistola Niciae a Thucydide tradita inveniuntur verba *πολλὴ δ' ἡ Σικελία*, quae Aristides dicit in litteris eius exstare. Accedit quod neque Plutarchus neque Diodorus tale quidquam in litteris Niciae commemorant neque iteratae contionis Diodorus mentionem facit. Primo igitur obtutu apparet, consensionem inter Aristidem et Thucydidem esse talem, ut vix eam casu iucidisse tibi persuadeas.

Idem ex comparatione Thucydidis efficitur alio loco huic simillimo, 372,5: *ἀλλ' εἰ προσδεῖ τοῖς ἐκεῖ βοηθείας, — πέμπειν ἥτις μετρία, καὶ τάς τε ναῦς τὰς διαβρόχους ἰᾶσθαι ταῖς διαδοχαῖς, αἳ παρέξουσιν σχολὴν ἀναψύχειν κτλ.* quibuscum conferas quaeso, quae ex Thuc. VII 12,3 adscribam: *νῦν δὲ αἱ νῆες διάβροχαι τοσοῦτον χρόνον ἤδη θαλασσεύουσαι, καὶ τὰ πληρώματα ἔφθαρται. Τὰς μὲν γὰρ ναῦς οὐκ ἔστιν ἀνελκύσαντας διαψῦξαι διὰ τὸ ἀντιπάλους τῷ πλήθει καὶ ἔτι πλείους τὰς τῶν πολεμίων οὔσας ἀεὶ προσδοκίαν παρέχειν ὡς ἐπιπλεύσονται.* Quae ex Aristide attuli, tam bene quadrant ad hanc Niciae epistolam, ut pro certo Aristidem ex ea hausisse dicere non dubitem.

Sequatur locus huic vel maxime necessarius, 379,5: *νῆες μὲν διάβροχοι. ναῦται δὲ ἀτακτοῦσι. χρήματα δ' ἐῤῥει. τῶν δὲ ἐμπόρων οἱ πλείους μεθεστᾶσι. οἰκέται δ' αὐτομολοῦσιν. ἐφορμοῦσι δ' οἱ πολέμιοι. μάχῃ δ' ἡττήμεθα. τῶν δὲ ἐπιτηδείων ἡ κομιδὴ παρ' αὐτὰς τὰς χεῖρας τῶν πολεμίων. ἀφέστηκε δ' ἡ Σικελία. Γύλιππος δ' οἴχεται δυνάμεις ἄξων ἑτέρας. — οἱ δὲ ἀσθενέστατοι μόνοι λειπόμενοι φίλοι τοῦ μηδενὸς ἄξιοι τῇ χρείᾳ.* Thucydide auctore (VII 12. 13. 14.) Nicias in litteris perscribit naves quod diutius in mari mansissent esse putrefactas, nautas autem perturbatos, transfugere servitia, peregrinorum plerosque passim in oppida dilabi, hostes vero in statione esse et exercitum prohibere commeatu, defecisse Siciliam et quae in fide mansissent civitates parum esse validas, Gylippum autem ad urbes Siciliae discessisse, ut eorum alias quidem ad belli societatem pelliceret, ex aliis vero novas adduceret copias pedestres et navales. Omnia igitur quae ex Aristide exscripsi apud Thucydidem quoque etsi mutato ordine tamen iisdem fere verbis reddita inveniuntur, ut vix dubitari possit, quin ex Niciae illa epistola, quam ne longus sim totam exscribere supersedeo, sint repetita. — Idem cadit in locum quem nunc addam: 385,1 *ἢ οὐκ ἀκούετε τῆς ἐπιστολῆς. ὡς εἰ μήτις αἱρήσει τὸ παρατείχισμα χειρὶ συχνῇ βιασάμενος. πέρας τὰν τῇ γῇ πράγματα ἔχει;* quod secundum Thuc. VII 11,3 conscriptum videtur ubi in eadem quam modo laudavi Niciae epistola haec exstant: hostes murum simplicem exstruxisse iuxta Atheniensium, ita ut eos amplius circumvallare non possent, nisi quis munitionem illam magnis copiis adortus expugnaret.[1])

378,15: *σκοποῦμεν οὖν εἰ δόξομεν ἢ ἡμᾶς αὐτοὺς γιγνώσκειν ἢ τὴν πόλιν καλῶς θεραπεύειν. εἰ πολιορκούμενοι μὲν αὐτοὶ τοὺς ἑτέρους ποιεῖν ἐπιχειρήσομεν διαπόντιοι καὶ πρὶν ἐξελθεῖν ἔχειν ἔξω τείχους πλευσούμεθα ἐπ' ἄλλους. κτλ.*

---

[1]) Thuc. VII 11,3: *οἱ δὲ παρῳκοδομήκασιν ἡμῖν τεῖχος ἁπλοῦν. ὥστε μὴ εἶναι ἔτι περιτειχίσαι αὐτούς. ἢν μή τις τὸ παρατείχισμα τοῦτο πολλῇ στρατιᾷ ἐπελθὼν ἕλῃ.*

Simili modo Thuc. VII 28,3 Athenienses ea potissimum re pressos esse dicit, quod duo bella simul sustinerent; nam eos a Peloponnesiis circumsessos tamen ne sic quidem ex Sicilia decessisse, sed illic eodem modo vicissim obsedisse Syracusas, urbem ipsam per se Athenis non minorem. Quibus ex locis inter se comparatis hoc videtur aliqua cum probabilitate concludi posse, ut saepissime ita hic quoque ex Thucydide sua mutuatum esse Aristidem.

386,20 *οἶδα μὲν γὰρ εἰς Θετταλίαν ποθ' ἡμᾶς στρατεύσαντας ὑπὲρ τῶν Ὀρέστου πραγμάτων, ὡς οὐ προὐχώρει. πάλιν μετ' ἐκείνου δεῦρ' ἀναστρέψαντας.* Haec spectant ad Thuc. I 111: Orestem, Echecratidae Thessalorum regis filium, ex Thessalia profugum Atheniensibus persuasisse, ut se reducerent. Nec vero eos suscepta adversus Pharsalum expeditione urbem expugnasse, neque aliud quicquam prospere successisse, sed una cum Oreste redisse re infecta.[1])

Agmen claudat 374,1: *καὶ τῶν μὲν στρατηγῶν φυγὴν κατέγνωμεν Πυθοδώρου καὶ Σοφοκλέους, καὶ τὸν τρίτον αὐτῶν χρήματα ἐπραξάμεθα, ὅτι ἀνέστρεψαν ἐκ Σικελίας καὶ μετέσχον τῶν ἐκεῖ σπονδῶν.* Quam arte hac in re narranda Thucydidis vestigia presserit, ipsius verba documento sint (IV 65,3): *ἐλθόντας δὲ τοὺς στρατηγοὺς οἱ ἐν τῇ πόλει Ἀθηναῖοι τοὺς μὲν φυγῇ ἐζημίωσαν, Πυθόδωρον καὶ Σοφοκλέα, τὸν δὲ τρίτον Εὐρυμέδοντα χρήματα ἐπράξαντο, ὡς ἐξὸν αὐτοῖς τὰ ἐν Σικελίᾳ καταστρέψασθαι δώροις πεισθέντες ἀποχωρήσειαν.* Diodorus prorsus silentio praeteriit (XII 54) animadvertisse Athenienses in tres illos duces ex Sicilia reversos.

Jam paucis ut omnium quae adhuc disceptavimus summam faciamus quid velim priore dissertationis parte demonstratum esse complectar: in narrandis rebus gestis Aristides permultis locis valde abhorret et a Plutarcho et a Diodoro, quibuscum ne uno quidem loco ita congruit,

---

[1]) Thuc. I 111: *καὶ τῆς μὲν γῆς ἐκράτουν, — τὴν δὲ πόλιν οὐχ εἷλον, οὐδ' ἄλλο προὐχώρει αὐτοῖς οὐδὲν ὧν ἕνεκα ἐστράτευσαν, ἀλλ' ἀπεχώρησαν πάλιν Ὀρέστην ἔχοντες ἄπρακτοι.*

ut auctores fuisse ei recte possis iudicare. Similia quidem legi apud Aristidem et apud Plutarchum Diodorumque cum ipse libenter fateor tum ex locis supra laudatis colligi potest. Sed quid hoc valet ad solvendam quaestionem, num horum scripta ille consuluerit? Duos scriptores qui eiusdem expeditionis historiam tractent multis rebus inter se convenire, quamvis tenues sint quasi rivuli ex eodem fonte nati, nonne consentaneum est et in rerum ipsa natura consistit? Adde quod locis omnibus quibus cum Plutarcho aut Diodoro videtur Aristides congruere, etiam Thucydidem vidimus cum eo atque multo artius consentire. Quae pauca igitur Aristides communia habet cum Plutarcho aut Diodoro, ea non ex ipsis hausit scriptoribus neque ex Ephoro, sed ut alia fere omnia ex uno Thucydide, quem et Plutarcho et Ephoro auctorem fuisse inter omnes constat. Uno loco aut ex Aeschine pendere Aristidem statuimus aut ex Isocrate, cui in Leuctricis orationibus non nulla debere eum inveniemus. Omnes autem ceteros quos exscripsi locos si obiter perlustraverimus, Thucydidis in fines Aristidem statim cognoscemus excurrisse quam saepissime, neque unquam eum paucula quaedam abstulisse, sed semper redisse praeda onustum. Nam non iisdem solum verbis plus semel utitur, sed totae declamationes Siculae nihil sunt aliud nisi Thucydides novam in formam redactus atque verbis multis, rebus nullis locupletatus.

II. De orationibus Leuctricis.

Leuctrica victoria reportata cum Thebani auxilium Arcadibus ferentes non solum bellum renovarent, sed in ipsos Lacedaemoniorum fines transferrent, ut eorum res publica in summum vocaretur periculum ac discrimen, Atheniensibus ne illa propemodum confecta funditus everteretur magnae curae Xenophon fuisse tradit. Adfuisse tum fortuito Athenis (cf. Xen. Hell. VI 5,33) vel potius missos eo esse (cf. Diod. XV 68) constat legatos et a Lacedaemoniis sociisque et a Thebanis (Hell. VI 5,46), ut Athenienses tamquam medios nec in alterius favorem inclinatos ad suam utrique eorum voluntatem perducerent. Quibus legationibus renuntiatis in contione a quinque civibus Aristides in utramque partem facit orationes perpetuas ita explicari, ut primus Lacedaemonios esse doceat iuvandos, alter Thebanos, tertius rursum Lacedaemonios, quartus iterum Thebanos, quintus postremo neutros.

Jam quaerentibus nobis quibus potissimum auctoribus Aristides in his orationibus componendis usus sit, non posse quicquam videtur recte iudicari, nisi declamationes ipsae diligentissime consulantur. Huic enim quaestioni qui adhuc operam dedit vir doctus, Jacobum Haury dico, quasi praeteriens extremis ut dicitur digitis rem magis attigit quam ea qua par est diligentia tractavit et argumentis nixus quae nulla sunt aedificium exstruxit omni fundamento carens. Qui ut per totum Aristidem, ubicunque eum adit, tamquam canis venaticus ex odore aut aliquo leviter presso vestigio Ephorum animadvertere sibi videtur, ita in Leuctricis quoque orationibus mirandum in modum eum odoratur: „Etiam in quinque declamationibus, quae dicuntur Leuctricae, Aristides multa ex Ephoro petiisse

statuendus est; quem ex Plutarcho de garrulit. c. 22 p. 514 c (Ephori fragm. 143) colligere possumus et pugnam Leuctricam et ea, quae eam secuta sunt, copiose narravisse.“ (l. c. p. 29). Nec vero tempus consumere volo in explicandis refellendisque eis quae ille protulit magis e libidine et praesumpta opinione nata quam e sobrio iudicio, sed ipsa res ad persequendum non mediocriter allicit.

Atque legatorum in numero qui causam Lacedaemoniorum Athenis agebant, Patroclem quendam Phliasium Xenophon tradit orationem habuisse; cuius similia non pauca dico Aristidem proferre. Quod ut demonstrem initium sumam ab locis nonnullis, ubi plane idem fere iisdem verbis Aristidem reddere obiter inspicienti cuique apparebit. Conferas quaeso quos adscribam locos hosce:

Aristides.	Xenophon. Hell.
419,5: *οὐ τοίνυν οὐδὲ φοβηθῆναί μοι δοκεῖτε ἂν εἰκότως τοὺς Λακεδαιμονίους μὴ πράγματα ἡμῖν πάλιν παράσχωσιν, ἐὰν σωθῶσιν.*	VI 5,40: *εἰ δέ τινες φοβοῦνται μὴ ἐὰν νῦν ἀναφύγωσιν οἱ Λακεδαιμόνιοι ἔτι ποτὲ πράγματα παρέχωσιν ὑμῖν, ἐνθύμητε κτλ.*
421,10: *ἀλλὰ τίς οὐκ οἶδεν ὅτι, ἂν ἐκποδὼν γένωνται Λακεδαιμόνιοι, μετενήνεκται λοιπὸν ἐνταῦθα ὁ πόλεμος καὶ πρὸς ἡμᾶς ἤδη τοῖς Θηβαίοις ὁ λόγος γίγνεται;* (simil. 407,15).	VI 5,38: *ὅτι μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εἰ ἐκποδὼν γένοιντο Λακεδαιμόνιοι, ἐπὶ πρώτους ἂν ὑμᾶς στρατεύσαιεν οἱ Θηβαῖοι, πᾶσιν οἶμαι δῆλον εἶναι.*
418,10: *εἰ δ' οἱ ψήφοις βοηθήσαντες* (sc. *Λακεδ.*) *τότε νῦν ὅπλοις ἀνταξιοῦσι ὑφ' ἡμῶν σωθῆναι, τοῦτο καὶ μάλιστα δέξασθε.*	VI 5,47: *πάντων δὲ κάλλιστον, εἰ ψήφῳ ἀκινδύνῳ σωσάντων ὑμᾶς τότε τῶν Λακεδαιμονίων, νῦν ὑμεῖς σὺν ὅπλοις τε καὶ διὰ κινδύνων ἐπικουρήσετε.*

431,10: *καὶ τοῦ τοιούτου πάθους συμβάντος τῇ πόλει πῶς ἐποίησαν; καταλαβόντες τὸν εἴσπλουν εἶργον τὰ πλοῖα τοῦ Πειραιῶς.*

II 2,9: *μετὰ δὲ ταῦτα δῃώσας Σαλαμῖνα ὡρμίσατο* (sc. *Λύσ.*) *πρὸς τὸν Πειραιᾶ ναυσὶ πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν καὶ τὰ πλοῖα εἶργε τοῦ εἴσπλου.*

Hanc tantam rerum sententiarum verborum consensionem neminem spero affirmaturum casu factam esse, immo mea sententia dubitari nequit, quin Aristides his locis Xenophontem exscripserit. Hoc fundamentum est reliquae disputationis, et certissimum quidem fundamentum esse puto, quod ex ipsa re petitum sit. Quare aliis quoque locis permultis Xenophonte usum esse Aristidem si quae secuntur comparaveris spero te libenter concessurum.

408,5: *σύνοιδα γὰρ ὑμῖν καὶ ὅτε πρῶτον ὁ κῆρυξ ἦλθεν τὴν μάχην ἀγγέλλων, ὃν ἐστεφανωμένον ὡς ὑμᾶς ἔπεμψαν οἱ Θηβαῖοι, πρὸς ἀηδίαν καὶ λύπην ἀκούσασι καὶ οὕτω πόῤῥω τοῦ συνησθῆναι γενομένοις, ὥστε μήτε εἰς τὸ πρυτανεῖον καλέσαι μήτ' ἄλλο μηδὲν φιλάνθρωπον ἐνδείξασθαι.* et similia 415,15: *καὶ μὴν ὅτι γ' αὐτὴν* (sc. *τὴν συμμαχίαν*) *ἀπείπασθε, οἶδεν ὁ τῆς νίκης ἄγγελος, ὃν μετὰ τὴν μάχην ἐλθόντα οὐδὲν ἐντιμότερον τῶν ὑπὸ τοῦ βαρβάρου πάλαι πεμπομένων ἐδέξασθε.* Pugna Leuctrica commissa a Thebanis quidem nuntium victoriae coronatum ex ipsa acie Athenas esse missum, Athenienses autem nuntium neque hospitio accepisse, nec de societate ineunda responsum dedisse nusquam, quantum video, nisi apud Xenophontem scriptum invenitur, unde sua mutuatum esse Aristidem illius verba documento sint: Hell. VI 4,19: *οἱ δὲ Θηβαῖοι εὐθὺς μετὰ τὴν μάχην ἔπεμψαν εἰς Ἀθήνας ἄγγελον ἐστεφανωμένον, καὶ ἅμα μὲν τῆς νίκης τὸ μέγεθος ἔφραζον, ἅμα δὲ βοηθεῖν ἐκέλευον. —. Τῶν δὲ Ἀθηναίων ἡ βουλὴ ἐτύγχανεν ἐν ἀκροπόλει καθημένη. Ἐπεὶ δ' ἤκουσαν τὸ γεγενημένον, ὅτι μὲν σφόδρα ἠνιάθησαν πᾶσι δῆλον ἐγένετο· οὔτε γὰρ ἐπὶ ξένια τὸν κήρυκα ἐκάλεσαν περί τε τῆς βοηθείας οὐδὲν ἀπεκρίναντο.*

416,10: *περὶ τοίνυν τῶν εὐεργεσιῶν, ἃς εἴποι τις ἂν ὡς ὑπῆρξαν εἰς ἡμᾶς οἱ Θηβαῖοι, τοῦτο μὲν οὐ συνεπιστρατεύσαντες Λακεδαιμονίοις ἐπὶ τὸν Πειραιᾶ, τοῦτο δὲ Θρασύβουλον δεξάμενοι,*

βιαστηράσω μὲν οὐδὲν καὶ γὰρ ἂν μαινοίμην. Cum in Piraeo exsules se magis magisque confirmarent, rursus Lysandrum constat, accitu maxime triginta virorum, cum fratre classis praefecto venisse, ut exsules terra marique obsessos in deditionem compelleret. Quae res cum ex sententia succedere videretur. Pausanias rex, qui Lysandro invideret, ipse quoque et exercitum eduxit et socios ad Piraeum occupandum arcessivit. Atque secuti sunt eum (Xenophonte auctore) socii universi Boeotis et Corinthiis exceptis. Postea, cum Lacedaemonii iam diu Thebanis invisi infestique, quod apud Deceleam Apollinis decumam sibi vindicassent et quod adversus Piraeum sequi Pausaniam noluissent, in Boeotiam Lysandro duce invaderent, Thebani Athenas mittunt legatos. quos Xenophon haec fere dicentes facit: Thebanos optime de re publica Atheniensium esse meritos, nam cum ad Piraeum occupandum a Lacedaemoniis essent evocati, tum universam rem publicam eis auxilium denegasse.[1]) Huc spectare quae ex Aristide exscripsi manifestum est. Neque quod dicit Arist. 434,15: *καὶ τίς ἔσθ' ἡ χρηστὴ καὶ ἡ πολλὴ ψῆφος, ἣν εἷς μὲν Θηβαίων ἤνεγκεν ἀνήρ;* — non ad eundem Xenophontis locum referendum esse puto, ubi dicendi initium inde legati capiunt, quod illud de Athenis urbe evertenda decretum non a re publica Thebanorum, sed ab uno prolatum homine fuisse usurpant, qui tum in consessu sociorum esset. (Hell. III 5,8: *οὐ γὰρ ἡ πόλις ἐκεῖνα ἐψηφίσατο. ἀλλ' εἷς ἀνὴρ εἶπεν. ὃς ἔτυχε τότε ἐν τοῖς συμμάχοις καθήμενος.*

Pergit Aristides ibidem: *καὶ ἔγωγε ἡδέως ἂν ἐροίμην τοὺς ὑπὲρ τῶν Λακεδαιμονίων νῦν διατεινομένους. τίνα γνώμην εἶχον τότε καὶ τί ποτ' αὐτοῖς ἐδόκει. ὅτ' ἐξῄεσαν μὲν ἐκ Πελοποννήσου Λακεδαιμόνιοι σωφρονιοῦντες. ὡς ἔφασκον. τοὺς Θηβαίους. ἐπειδήπερ οὐ συνεστρατεύσαντο αὐτοῖς ἐπὶ τὸν Πειραιᾶ.* Lacedaemonios

---

[1]) Hell. III 5,8: *ὅτε δὲ παρεκάλουν ἡμᾶς οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐπὶ τὸν Πειραιᾶ. τότε ἅπασα ἡ πόλις ἀπεψηφίσατο μὴ συστρατεύειν αὐτοῖς.*

suscensuisse Thebanis cum aliis de causis tum quod ipsos adversus Piraeum sequi noluissent Xenophonte auctore (III 5,5. 5,8) supra (ad 416,10) commemoravi. Cuius rei diversas afferunt causas et Plut. Lys. 27 et Diod. XIV, 81.

417,5: *καὶ μὴν οὐδ' ἐκεῖνό γ' εἰπεῖν κατοκνήσω, ὅτι εἰ μὴ πολλῷ, μᾶλλον δὲ τῷ παντὶ μείζους τῶν εὐεργεσιῶν τούτων ἀντειλήφασι Θηβαῖοι χάριτας παρ' ἡμῶν, πῶν ὀφείλομεν αὐτοῖς. Ἀλλ' ἔστιν ὅπως, ὦ πρὸς Διός, ἴσον ἢ παραπλήσιον εἶναί τῳ φαίνεται μὴ ἀκολουθῆσαι Λακεδαιμονίοις ἐμβάλλουσι καὶ Λακεδαιμονίοις ὑπὲρ τούτων ἀντιτάξασθαι ἄν, κτλ.* Thebanis cum auxilium ferendum esse Athenienses decrevissent, Xenophonte auctore Thrasybulus plebis scitum proposuit cum diceret: populum Atheniensium, tametsi Piraeus nondum muris cinctus esset, nihilo secius suo cum periculo maiorem Thebanis gratiam referre conaturum quam ipse beneficia accepisset. Haec conferantur iis quae ex Aristide attuli, nec iam dubium erit, quin hunc Xenophontis locum ille adumbrarit. Sed exscribatur locus necesse est, praesertim cum saepius Aristides haec Thrasybuli verba imitatus esse videatur (III 5,16): *Θρασύβουλος — καὶ τοῦτο ἐνεδείκνυτο, ὅτι ἀτειχίστου τοῦ Πειραιῶς ὄντος ὅμως παρακινδυνεύσαιεν χάριτα αὐτοῖς ἀποδοῦναι μείζονα ἢ ἔλαβον. Ὑμεῖς μὲν γάρ, ἔφη, οὐ ξυνεστρατεύσατε ἐφ' ἡμᾶς, ἡμεῖς δέ γε μεθ' ὑμῶν μαχούμεθα ἐκείνοις, ἂν ἴωσιν ἐφ' ὑμᾶς.* Namque ad eundem quem modo attuli locum respicere videtur Ar. 418,20: *καὶ μὴν καὶ Θηβαίους ὅτε ἐσώζετε, οὐχ ὅμοια ἀνθ' ὁμοίων ἀπεδίδοτε αὐτοῖς δήπου. καίτοι τηνικαῦτα μὲν οὔτε τριήρων εὐπορεῖτε οὔτε τὰ τείχη τὸν ἀναστήσοντα εἴχετέ πω, ἀλλ' ἀφύλακτος καὶ γυμνὴ σχεδὸν ἡ πόλις ἦν.* et similia 435,15 *ἔπειτα εἰ τόθ' ὑμᾶς ἐκίνει τὰ Θηβαίων εὐεργετήματα κτλ.*

424,15: *ἄξιον τοίνυν κἀκεῖνο ἐπὶ πᾶσιν ἐξετάσαι, ποτέροις συνηθέστερον ὑμῖν καὶ μᾶλλον πάτριον συντάττεσθαι, πότερόν ποτε Θηβαίοις ἢ Λακεδαιμονίοις κτλ.* Simili modo Proclem illum Phliasium Xenophon interrogantem facit (VI 5,43): si quando rursus Graeciae periculum immineret a barbaris, quibusnam fidem potius habituri essent Athenienses quam Lacedaemoniis, quosnam lubentius socios sibi arcessituri

quam ipsos, quorum qui ad Thermopylas in acie collocati essent, maluissent omnes mortem occumbere, quam vivi barbaro ad Graeciam aditum patefacere?

431,10: *ἀλλὰ καὶ τοὺς πρέσβεις τοὺς ἐλθόντας ὡς αὐτοὺς παρ' ἡμῶν πρότερον μὲν ἀπράκτους καθάπαξ ἀπέπεμψαν. τελευτῶντες δ' ἐπὶ τοσοῦτον κατέσχον, ἕως πλήρη νεκρῶν ἐποίησαν τὴν πόλιν.*

Athenienses terra marique obsessi cum neque classem neque socios haberent atque frumentum omne prorsus iam defecisset, ad Agim regem, si Xenophontem sequimur auctorem, legatos de pace miserunt. Ille vero legatos Lacedaemonem pergere iussit, nam esse rem in sua potestate negabat. His renuntiatis Lacedaemonem missi sunt legati, ubi haud aequis auribus audiebantur; sed abire eos ephori iusserunt ac si quidem pace egerent, re melius deliberata reverti. Postea animis fractis et demissis Athenienses ad Lysandrum miserunt Theramenem, qui amplius tres menses ibi commoratus mense quarto cum redisset in contione renuntiavit: ad id tempus ab Lysandro detentum se fuisse; iam vero eum respondisse penes ephoros esse pacem et bellum. Hanc ad Xenophontis descriptionem optime quadrare vides quae ex Aristide exscripsi; quamquam ultro Theramenem ille dicit apud Lysandrum esse commoratum quo facilius Athenienses omnium rerum fracti inopia quaecumque quis diceret iis assentirentur. Sed consulto hoc silentio praetermittens Aristides Theramenis illud: a Lysandro detentum se fuisse, pressit, ut exaggeraret iniuriam a Lacedaemoniis acceptam.

408,5: *οὕτως ὁ παλαιὸς λόγος ἔστ' ἀληθής, ὅτι τοῖς καθ' ἑκάστους ἀτυχοῦσι κοινὴ πᾶσιν ὕπεστιν εὐτυχία τὸ τῆς πόλεως ταύτης ἦθος, ὑφ' οὗ σώζονται.* Similia quamquam permultis vel oratorum vel scriptorum locis inveniuntur, — ex uno Isocrate exempli causa afferam IV 52. VIII 42. XIV 1. — haec tamen verba haud scio an ex Patroclis Phliasii oratione illa saepius laudata manaverint, quem Xenophon haec fere dicentem facit (VI 5,45): iam pridem se rem publicam Atheniensium esse admiratum, quod omnes, qui

vel iniuriis afficerentur vel sibi metuerent, eo confugientes audisset auxilium impetrare.

408,15: *εὑρήσομεν γὰρ τὰ μὲν Θηβαίοις δόξαντα, ἀναίρεσιν τῆς πόλεως ἡμῶν καὶ ἀνδραποδισμὸν καὶ μηδένα μηδαμοῦ λοιπὸν εἶναι.* Gravissimum quod a Lacedaemoniis prolatum Xenophon dicit (VI 5,35) argumentum hoc fuit: impeditos a Lacedaemoniis fuisse Thebanos, cum devictis Atheniensibus evertendam esse urbem illi censuissent (cf. Xen. Hell. II 3,19).

439,10: *ἀλλ' ὦ μάτην δεδιώς, ἡ χάρις αὐτοὺς ἣν ὀφείλουσι τῆς βοηθείας ἡμῖν, μετριωτέρους ποιήσει, φαίη τις ἄν.* Qua de re cf. Jebb.: „Fusius hoc argumentum prosequitur Patrocles ille Phliasius apud Xenophontem (VI 5,41) qui et inter alia haec dicit: *ὑμῖν δὲ νῦν ἐκ θεῶν τινος καιρὸς παραγεγένηται, ἐὰν δεομένοις βοηθήσητε Λακεδαιμονίοις, κτήσασθαι τούτους εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον φίλους ἀπροφασίστους.* Haec vero an respexerit Aristides, Lector viderit.“

450,15: *καὶ γὰρ οὐδ' ἐκεῖνο ἔχει λόγον. αὐτοὺς μὲν ἡμᾶς ὀμωμοκέναι καὶ πίστεσιν ἰσχυραῖς διωρίσθαι ἦ μὴν ταυτὰ φρονήσειν καὶ μὴ μνησικακήσειν ἀλλήλοις. κτλ.* Eorum qui Eleusine versabantur ducibus interfectis Athenienses Thrasybulo auctore omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delevisse refert Xenophon Hell. II 4,43, unde Aristidem sua repetivisse illius verba documento sint: *καὶ ὀμόσαντες ὅρκους ἦ μὴν μὴ μνησικακήσειν καί νῦν ὁμοῦ τε πολιτεύονται καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος.*

Jam nunc complectamur quae ab initio cupidis oculis appetivimus: in declamationibus Leuctricis componendis Xenophon omnium fuit Aristidi auctor gravissimus, cuius ex historia Graeca non res solum duxit, quae tamquam materies eis subiectae sunt, sed ex orationibus illis, quas a legatis Peloponnesiorum Athenis habitas Xenophon refert, etiam argumenta Aristides saepius petivit. Ut rhetoris est, plerumque quae ex auctore deprompserat commutavit: alia omisit, alia invertit, alia in brevius contraxit, alia amplificavit. Neque vero deesse ostendi

eius modi locos, quibus plane idem verbis referat fere iisdem. Sed tamen cave credas totas declamationes Leuctricas Xenophonti deberi: nam non ea solum quae ex eius historia Graeca assumpta legimus, Aristides protulit, immo multas alias res commemoravit quae apud Xenophontem non inveniuntur. Quae unde sint sumpta quaestio interdum non ita facilis diiudicatu. Neque enim satis habet his ex Xenophonte depromptis immiscuisse quaedam de Thucydide vel de Herodoto repetita, sed etiam oratores adiens non nullis quae Demostheni debet vel Isocrati aliis declamationes suas exornavit.

Atque Thucydidem videtur adhibuisse locis hisce: 429,1: ἠξίουν (sc. Λακεδ.) δ' ἡμᾶς Αἴγιναν αὐτόνομον ἀφιέναι καὶ Ποτιδαίας ἀπανίστασθαι. παραπλήσια οἷς νῦν Θηβαίοις ἐπέταττε Κλεόμβροτος. Huius enuntiati prior pars ad verbum congruit cum Thucydide, qui Lacedaemonios Atheniensibus cum causam belli essent illaturi, ut a Potidaeae obsidione recederent et Aeginam suis legibus vivere sinerent, tradit imperasse hisce verbis: I 139,1) ὕστερον δὲ φοιτῶντες (sc. Λακεδ.) παρ' Ἀθηναίους Ποτιδαίας τε ἀπανίστασθαι ἐκέλευον καὶ Αἴγιναν αὐτόνομον ἀφιέναι. Quae secuntur Aristidis verba παραπλήσια οἷς νῦν Θηβαίοις ἐπέταττε Κλεόμβροτος pertinent ad Xen. Hell. VI 4. 3, ubi Cleombroto ab ephoris mandatum esse traditur, ut Thebanis, nisi civitatibus Boeotiae libertatem restituerent, bellum inferret.

436,15: ἔστιν ἀκούειν τῶν πρεσβυτέρων ὡς Θετταλοί ποτε δεῦρ' ἐλθόντες ἱππεῖς κατὰ συμμαχίαν μετέστησαν παρὰ τὴν μάχην ὡς τοὺς Λακεδαιμονίους. Paulo ante proelium ad Tanagram commissum Thessalorum quidem equites Atheniensibus auxilio venisse, in ipsa autem pugna ad Lacedaemonios transfugisse refert Thucydides, cui non rem modo sed ipsa verba Aristidem debere his quae adscribam illustretur (I 107,7): ἦλθον δὲ καὶ Θεσσαλῶν ἱππῆς τοῖς Ἀθηναίοις κατὰ τὸ ξυμμαχικόν, οἳ μετέστησαν ἐν τῷ ἔργῳ παρὰ τοὺς Λακεδαιμονίους. Similia exstant ap. Diod. XI, 80, eadem verba apud unum Thucydidem.

461,1: *ἡμεῖς Κερκυραίους ποτ' ἐδεξάμεθα ἐκσπόνδους ὄντας, συμφέρειν κρίναντες δηλονότι προκαταλαβεῖν αὐτούς, ἐπειδήπερ ἴσχυον κτλ.* Corcyraeos cum nulla Graecorum civitate foedere coniunctos (*ἦσαν γὰρ οὐδενὸς Ἑλλήνων ἔνσπονδοι* I 31,2) ab Atheniensibus in societatem receptos esse refert Thuc. I 34,1.

441,1: *ἀλλὰ μάλιστα μὲν — Θηβαίους ἔγωγ' ἂν ἐλοίμην τὸ ἐμαυτοῦ μέρος πολὺ μᾶλλον. οὓς καὶ πρότερον Μυρωνίδης τοὺς πρεσβυτάτους τῶν πολιτῶν ἐξαγαγὼν μετὰ πάντων Βοιωτῶν παρεστήσατο ῥᾳδίως. ἢ Λακεδαιμονίους.* Reminiscaris velim quid supra de Arist. 371,20 loco huic simillimo disputaverim (p. 13).

445,10: *εἰ δέ τις τὸ τῶν Λακεδαιμονίων ὄνομα ἢ τὰ σεμνὰ τῆς χώρας ἐν αἰδοῖ ποιεῖται καὶ δεινὸν αὐτῷ τι φαίνεται καὶ σχέτλιον τὴν ἐπ' Εὐρώτᾳ γῆν πειραθῆναι πολεμίων ἐμβολῆς. οὐδὲν ἀτιμοτέρα τῶν παρ' ἐκείνοις τόπων Ἐλευσὶς αὕτη, τὸ Θριάσιον, Ἀχαρναί, τὰ ἄλλα, ὅσα μυριάκις κατατέτμηται.* Agrum Eleusinium et Thriasium campum et Acharnas saepissime vastata esse Lacedaemoniorum incursionibus Thuc. II 20. 21 permultis aliis locis refert.

429,5: *ὡς δ' οὐκ ἠνεσχόμεθ' οὐδ' ὑπηκούομεν. — οὕτως ἤδη πάντας ὅσους οἷοί τε ἦσαν παραλαβόντες πόλεμον ἐξήνεγκαν, μικρὰ μὲν τῶν ὅρκων καὶ τῶν ξυνθηκῶν φροντίσαντες, ἃς ὅθ' εἵλομεν Εὔβοιαν ἐποιήσαντο πρὸς ἡμᾶς.* Haec videlicet spectant ad pacem illam quae dicitur triginta annorum, quam non multo post Euboeam occupatam Athenienses cum Lacedaemoniis sociisque fecisse tradit Thuc. I 115.

433,15: Pissuthnem, Hystaspis filium, commemorat Aristides, cuius nomen apud unum quantum video Thucydidem invenitur (I 115. III 31).

Satis multis igitur locis Aristides in Leuctricis quoque declamationibus Thucydide usus est, cui fortasse plus etiam, quam adhuc indagare potui, debuit: nunc vero quid aliis scriptoribus assignandum sit videamus.

Atque de Persicis rebus quae Aristides affert equidem puto ex libris Herodoti manasse, quo in declamatione *πρὸς Πλάτωνα ὑπὲρ τῶν τεττάρων* Aristidem ita usum esse, „ut saepius ad verbum hunc fontem sequeretur“ Haasius (p. 21) mihi persuasit. Conferas quaeso quos adpingam locos hosce:

414,10: *ἀκούω δὲ καὶ πάλαι ποτὲ ὑπὲρ τὰ Μηδικὰ αὐτοὺς τούτους Θηβαίους διαλύσασθαι πρὸς ἡμᾶς. μελλούσης μὲν ἤδη τῆς μάχης ἔσεσθαι. Κορινθίων δὲ παρατυχόντων καὶ διαλλαξάντων ἀμφοτέρους.* Plataeensibus oppressis olim a Thebanis, quia societati Atheniensium se addixissent, hos quidem succurrisse, inimiccs autem, cum essent proelium commissuri, a Corinthiis qui tum casu adessent, in gratiam esse reconciliatos tradit Herodotus verbis hisce (VI 108): *Θηβαῖοι δὲ πυθόμενοι ταῦτα ἐστράτευον ἐπὶ τοὺς Πλαταιέας. Ἀθηναῖοι δέ σφι ἐβοήθεον· μελλόντων δὲ συνάπτειν μάχην Κορίνθιοι οὐ περιεῖδον. παρατυχόντες δὲ καὶ καταλλάξαντες ἐπιτρεψάντων ἀμφοτέρων οὔρισαν τὴν χώρην κτλ.* Unde sua mutuatum esse Aristidem pro certo statuam; nam scribendi rationi Aristidis aptissimum est, quae apud Herodotum legebat transscribere et structura verborum et verbis ipsis lenissime commutatis.

440,1: *πρέσβεις δ' ὅτε Μαρδόνιος προυκαλεῖθ' ἡμᾶς εἰς συμμαχίαν ἐπὶ δώροις, ἀντιπέμψαντες αὐτοὶ* (sc. *Λακεδ.*) *καὶ φωνὰς οὐκ ἐλάττους ἢ νῦν ἀφέντες, μὴ προδοῦναι σφᾶς, οὐ πολὺς χρόνος μετὰ ταῦτα διεγένετο καὶ ἐκώλυον μὲν ἡμᾶς τειχίζειν κτλ.* Cum Alexander, Mardonii legatus, Athenas venisset, etiam a Lacedaemoniis veritis ne Athenienses cum hoste agerent, legatos Athenas esse missos refert Her. VIII 141.

Neque vero Aristides, quamvis multa ex Xenophonte hauserit, ex Thucydide, ex Herodoto i. e. ex eis rerum scriptoribus quos quasi principes sequi posteriores solebant omnes, abhorruisse videtur ab illo, qui quaecumque de virorum clarorum vitis nota erant paucis ante annis collegerat et composuerat, Plutarchum dico, cuius vitas Periclis Themistoclis Cimonis Alcibiadis aliorum saepissime ab eo adhibitas esse Haasius mihi quidem comprobavit (p. 34 – 49). Huic igitur scriptori si Leuctricarum quoque declamationum locos paucos non dubito assignare, te quoque spero non repugnaturum. Ac primum quidem agamus de Arist. 441,15: *Θηβαῖοι — οὐ μόνον οὐκ ἦλθον εἰς Πειραιᾶ κελευόντων Λακεδαιμονίων. ἀλλ' ἔτι καὶ τῆς τυραννίδος καταστάσης, ἣ καὶ μικρὸν χρόνον εἰ προσδιήρκεσεν, οὐκέτ' ἂν ἀντέσχεν*

ἡ πόλις, πάντων ἄριστοι περὶ ἡμᾶς ἐγένοντο. Παρασχόντες γὰρ οἰκείαν καὶ φίλην τὴν σφετέραν αὐτῶν πόλιν ἀζήμιον καὶ ἄλυπον τὸ μετοικεῖν ἀπέφηναν Ἀρχίνῳ Θρασυβούλῳ τοῖς ἄλλοις, οἳ πολλοὶ καθ' ἡμέραν ἑκάστην ἐγίγνοντο· καίτοι ταῦτα οὐκ ἀκίνδυνα ποιοῦντες πρὸς Λακεδαιμονίων ᾔδεσαν. Haec tanta Thebanorum beneficia cum prorsus silentio Xenophon praeteriisset, Aristides facere non potuit quin alium adiret scriptorem; aut commemorandi ea quae maxime ad suam sententiam suadendam idonea videbantur Thebanorum ille fautor dimittere debuit opportunitatem. Ex antiquis autem qui nunc exstant scriptoribus imprimis duo[1]) copiosius haec tanta illorum in Athenienses merita tractarunt, Plutarchum dico (Lys. 27) et Diodorum (XIV 6). Quorum locos allatos in comporationem voca: mox videbis minoribus discrepantiis exceptis adeo eos inter se congruere, ut ex eodem verisimile sit utrumque fonte hausisse. Atque hic est mea sententia unus Ephorus, ex quo et totum fere Diodori librum XIV et Plutarchi vitae Lysandri locos non paucos constat esse sumptos. Quamquam apud Plutarchum Argivorum plebiscitum non commemoratur, sed suo iure eorum in Athenienses merita illic praetermisit, cum nihil vellet nisi Lysandri in Thebanos odium explicare. Ephorum igitur dicat quispiam Aristidi quoque ducem fuisse et auctorem, qui et alia et Archini nomen neque apud Plutarchum exstans neque apud Diodorum ei suppeditaret. Sed res aliter videtur se habere. Nam primum si exstitisset in Ephori libro nomen Archini, Diodorum miror nullo loco illud conservasse. Deinde maximi hoc velim ducas, quod in nulla adhuc quae ad historiam pertinet re narranda ex Ephoro inveneris hausisse Aristidem. Plutarchi autem vitas permultas eum adhibuisse satis constat non parum saepe. Quid superest? Archini nomen ex Platonis Menexeno p. 234 B aut ex Isocrate (XVIII, 2) aut ex

---

[1]) Paullo brevius eiusdem rei mentionem fecit Dinarch. in Demosth. I 25.

Demosthene (24,135) aut ex Aeschine (2,17) depromptum intulit haud secus atque alio huius orationis loco (433,15) Pissuthnis nomen ex Thucydide petitum.

Eodem fere modo alter Aristidis locus cum Plutarcho componi potest 452,15; *δεινὸν μὲν, νὴ τὸν Δία τὸν ἐλευθέριον τὸν Πλαταιᾶσι καὶ τὰ μνήματα τῶν ἐκεῖ πεσόντων κοινῶν ἀμφοτέροις προγόνων, περιιδεῖν τὴν Λακεδαιμονίων πόλιν ἐκπεσοῦσαν ἐκ τῆς Ἑλλάδος, καὶ ταῦθ' ὑπὸ Θηβαίων, κτλ.* Haec unde hauserit Aristides, diu multumque dubitavi num aliqua cum perspicuitate liceret disceptare. Etenim brevius hic tanguntur res istae a multis scriptoribus commemoratae, ut certo eas auctori tribuere audaciae esse videatur. Nihilo secius hanc quaestionem initurus si non verum attamen verisimile sperare videor me consecuturum. Contigeritne hoc ipse videas. Atque Graecorum qui in pugna Plataeensi ceciderunt sepulcra copiosius tractarunt Her. IX 85. Thuc. III 58. Plut. Arist. 21. Paus. IX 2,5. Jovi Liberatori sacra fecisse victoria reportata Pausaniam in foro Plataeensi refert Thuc. II 71. Quare et haec et ea quae in Panathenaico exstant (125,20: *ὥστ' εἰκότως εἰπεῖν εἶναι τὴν μὲν πόλιν τὸν ἐλευθέριον Δία τιμᾶν ἐπὶ τοῖς πραχθεῖσι προσήκειν, τοῖς δὲ ἄλλοις Ἕλλησι τὴν πόλιν κτλ.*) Aristides scribere potuit Herodoto uno usus atque Thucydide. Sed exstat alius Panathenaici locus (148,10), ubi aram constitutam esse Jovi Liberatori atque dies festos a victoribus actos pie grateque esse Aristides commemorat. Quorum neutrum Herodotus ei potuit suppeditare neque Thucydides, cum ipsi ea ignorent. Errasse igitur puto Haasium, qui (p. 18) „non dubitat, quin Aristides huius loci (i. e. Thuc. II 71) parum recordatus illud conscripserit". Duo autem illa, et aram et Eleutheria, Jovi constituta esse tradunt Plut. Arist. 19. 21. Posidipp. ap. Dicaearch. 11 (Müller. II 257). Paus. IX 2,6., aram unam Strab. IX 412 (Apollodoro auctore), Simonides (Bergk III 484). Quod dicit Diodorus (XI, 29) ante pugnam Plataeensem Graecos, si victoriam reportarent, Eleutheria se Jovi consecraturos vovisse, neque ab alio

quoquam scriptore traditum invenitur neque per se ipsum verisimile videtur. Haec autem minime debemus vitio vertere ipsi Diodoro, sed Ephorum eum fuisse puto, qui vano ad novum cursu raptus ut saepissime ita hic quoque Herodoti veritatem atque perspicuitatem turbulentis ineptiis amplificavit. Plutarchus deinde et Pausanias num communi ex fonte hauserint valde dubito. Veri similius mihi videtur hunc Aristidis vita ita usum esse, ut in pugna Leuctrica narranda eiusdem vitam Epaminondae deperditam exscripsisse eum Wilamovitzius ostendit. Aristidem denique cum satis constet non solum aliis Plutarchi vitis saepissime usum esse, sed ex ipsa etiam Aristidis Atheniensis vita nonnulla sumpsisse, hic quoque probabilis videtur coniectura Plutarchum ei auctorem fuisse.

Quae si recte adhuc a nobis disputata sunt, tertium fortasse Aristidis locum cum specie quadam probabilitatis Plutarcho assignare licet. Dico 465,5: *ἡμεῖς δὲ αὐτοὺς τοὺς εἰσηγησαμένους ἡμῶν πολίτας, δι' ὧν ταῦτα ἀνεστήσαμεν* (sc. *τὰ τρόπαια*). *οὐκ ἀφήκαμεν διὰ ταῦτα, ὅτ' ἠδικηκότας ὕστερον εὕρομεν, ἀλλὰ τοῦτο μὲν Μιλτιάδην ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ τελευτήσαντα οὐκ ἐκρίναμεν παρ' ἀξίαν ἀπολωλέναι* —. Aliter alio loco de eadem re Aristides statuit. Velim enim conferas II 244,5, ubi Miltiadem mortuum esse dicit *οὐ τῶν δικαστῶν θάνατον καταγνόντων αὐτοῦ, οὐδ' ὡς σὺ φῂς κἂν εἰς τὸ βάραθρον ἐμπεσών, εἰ μὴ διὰ τὸν πρύτανιν, ἀλλὰ τοῦ τραύματος αὐτῷ σφακελίσαντος.* Quod a Platone Gorg. 516 E traditum Aristides verum esse negat Herodoto auctore, qui (VI 136) mortem Miltiadis ita refert: *προσγενομένου δὲ τοῦ δήμου αὐτῷ κατὰ τὴν ἀπόλυσιν τοῦ θανάτου, ζημιώσαντος δὲ κατὰ τὴν ἀδικίην πεντήκοντα ταλάντοισι, Μιλτιάδης μὲν μετὰ ταῦτα, σφακελίσαντος τοῦ μηροῦ καὶ σαπέντος τελευτᾷ, τὰ δὲ πεντήκοντα τάλαντα ἐξέτισε ὁ παῖς αὐτοῦ Κίμων.* His autem cum Herodoti verbis si obiter Aristidis supra laudata (465,5) comparaverimus, alio ex fonte ibi hausisse eum statim intellegemus. Atque in vincula coniectum esse Miltiadem, cum gravissimam non posset multam sufferre, et in ipso carcere mortuum Ephorus videtur

tradidisse, quem secutus est Diodorus hisce verbis (X 64): *ὅτι Μιλτιάδου υἱὸς ὁ Κίμων, τελευτήσαντος τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ἐν τῇ δημοσίᾳ φυλακῇ διὰ τὸ μὴ ἰσχῦσαι ἐκτῖσαι τὸ ὄφλημα, ἵνα λάβῃ τὸ σῶμα τοῦ πατρὸς εἰς ταφήν, ἑαυτὸν εἰς τὴν φυλακὴν παρέδωκε καὶ διεδέξατο τὸ ὄφλημα.* Deinde Cimonem divite uxore ducta aes alienum solvisse idem tradidit memoriae. cf. schol. Ael. Arist III 515 Diud.: *Ἔφορος δὲ ἐν τῇ πρώτῃ* (sine dubio *α'* in *ι'* mutandum, nam decimo Ephori libro has res tractatas esse ex frgm. 107 Muell. satis intellegitur) *φησὶν ἐκτῖσαι αὐτὸν τὰ πεντήκοντα τάλαντα γήμαντα γυναῖκα πλουσίαν.*[1]) Qua cum re narrata gravissime pugnant et Plutarchus (Cim. 4) et Cornelius Nepos, qui eundem auctorem secuti (cf. Plut. Cim. 4 et Corn. Nep Cim. 1) referunt Cimonem Calliae ditissimo homini, cum quinquaginta illa talenta se soluturum pollicitus esset, sororem in matrimonium dedisse. Ipsum Cimonem pro patre in carcerem coniectum esse Plutarchus prorsus silentio praeteriit, quod Cornelius Nepos, fortasse Ephori recordatus locum illum, addidit. In universum autem statui potest non Ephoro usos fuisse et Plutarchum et Nepotem, sed Theopompo. Sed ut ad propositum redeamus, reliquum est ut exquiramus, hauseritne Aristides ex Ephoro, an ex Plutarchi Nepotisque auctore sua mutuatus sit an ex ipso Plutarcho. Quamquam hoc certo nequit iudicio disceptari. Sed cum nullo quantum scio loco Aristides Theopompo, nullo loco videatur usus esse Ephoro, Plutarchum autem cum in hac suasoria tum in aliis declamationibus ducem ei et auctorem saepius fuisse constet, id hic quoque veri simillimum esse arbitror, praesertim cum etiam verbis consentiant non nullis. Tamen libenter concedimus firmum praesidium illi sententiae ex his paucis locis peti non posse. Atque attuli eos non quo pro certo illud statuere vellem, sed quia omnino tractandi mihi videbantur.

---

[1]) Desiderari hoc fragmentum nomine instructum apud Muellerum valde doleo.

Restat ut pauca verba faciam de locis nonnullis, ubi brevius Aristides aliquod factum tetigit, quam ut doctrinam eius ex certo derivare fonte fas esse videatur; quos locos, ne longus sim, totos exscribere praetermitto.

411,15: in pugna Leuctrica amplius mille Lacedaemonios cecidisse, cf. Xen. Hell. VI 4,15. Plut Ages. 28. Paus. IX 13,4, quem ex Plutarchi vita Epaminondae deperdita totam hanc de pugna Leuctrica digressionem excerpsisse Wilamowitzius ostendit (Antig. 332, a. 19 aliis locis). Unus Diodorus Ephoro auctore (XV 56) non minus quattuor milia illorum cecidisse tradit.

412,15: Atheniensium in Thebanos merita significat: Thebanis Haliartum auxilio venisse Athenienses et cum iis coniunctos adversus Agesilaum in acie fuisse. Xen. Hell III 5,22. IV 3,15. Diod. XIV 81. Plut. Lys. 29. Ages. 15.

416,10: Thrasybulum exsulem a Thebanis urbe receptum esse. Plut. Lys. 27. Diod. XIV 32. Idem quamquam non diserte dicitur ex Xen. Hell. II 4, 1. 2. concludere potuit.

429,15: (448,5 similia): Cadmeam arcem summa pace a Lacedaemoniis esse occupatam. Plut. Ages. 23. Isocr. Paneg. 126.

430,5: Persarum regem a Lacedaemoniis auxilio esse arcessitum. Xen. Hell. V 1,25—29. Isocr. multis locis.

433,10: Lacedaemonios cum ceteris in rebus invidos se perfidosque praebuisse, tum maxime illo tempore, cum ab Atheniensibus ne muros reficerent postularent. cf. Thuc. I 90. Plut. Them. 19. Diod. XI 39. alios.

440,1 (464,10 similia): Tertio bello Messeniaco Athenienses antea quidem auxilio vocatos, postea autem suspicione orta solos ex sociis a Lacedaemoniis dimissos esse domum.

440,5: Lacedaemonios Agamemnonis expeditionem illam celeberrimam imitatos Agesilao duce in Asiam invasisse regisque finibus ferro ignique vastatis Athe-

niensibus et Thebanis bellum intulisse. Xen. Hell. III. 43. IV 1,32 ssq. 2,1 ssq. Plut. Ages. 6 ssq.

446,20: Lacedaemonios cum Syracusanis coniunctos insatiabilem suam crudelitatem in Atheniensibus exercuisse fracto foedere illo, quod ut Sphacteriae captos reciperent cum Atheniensibus fecissent. Thuc VII 70—82. V 15. Diod. XIII 16. XII 72.

450,1: Graecos graviter tulisse quod a praetoribus qualibet in urbe ab Lysandro constitutis indigna servitute premerentur. Xen. Hell. III 5,13. IV 3,8. Plut. Lys. 13. Diod. XIV 13. Isocr. Paneg. 110.

451,10: Thebanos et Xerxem regem et Mardonium ducem suis finibus recepisse. cf. Her. VIII 50. IX 15. alios.

452,10: Eleos et Arcades cum Thebanis societate coniunctos fuisse; alio loco (456,1) Argivos addit. cf. Xen. Hell. VI 5,23 alios.

460,10: Peloponnesiaco quidem bello Lacedaemonios Persarum regem auxilio arcessivisse, Corinthium autem bellum compositum esse pace illa quae dicitur Antalcidae; qua pace Graecos regis ditioni permissos esse. Isocr. Panath. 103—107. Xen. Hell. locis nonnullis.

464,5: Cum Herculem genere Thebanum fuisse veteres consentiant, auctores Lacedaemoniorum hic Thebani appellantur.

465,5: Ab Atheniensibus Themistoclem, cum iis non contigisset, ut captum eum interficerent, in exsilium eiectum esse. cf. Thuc. I 135. 136. Plut. Them. 23. 24. alios.

468,20—470,15: Exemplis ex bello Peloponnesiaco repetitis Thebanos et Lacedaemonios par nobile fratrum esse demonstratur.

474,5: Argivos optime se habuisse et omnibus copiis circumfluxisse, quoad foedere cum utrisque coniuncti a discidiis Lacedaemoniorum et Atheniensium abhorrerent: sed bello cum essent implicati, gravissimis calamitatibus afflictos et intestinis esse discordiis dilaceratos. Thuc. V 28. 81. sqq. Diod. XII 75. 77. 81. Isocr. V 51. 52.

Postquam de rerum scriptoribus satis disserui, qui ad explicandas declamationes Leuctricas aliquid valent, nunc ad eos oratores Atticos, quibus maxime se Aristides videtur addixisse, Isocratem dico et Demosthenem animos advertamus.

Ac primum quidem componam non nulla, quae similia leguntur apud Isocratem et Aristidem.

456,10: *ἔστι τοίνυν τούτων οὐ μικρὸν κατηγόρημα, ὅτι Θηβαίοις τουτοισὶ συνεξεῖλον Πλαταιὰς καὶ παρέδοσαν, καὶ πάλιν τὸ τελευταῖον, ὅτι τοὺς Ἴωνας ἐκδότους ἐποίησαν ἐν ταύταις ταῖς συνθήκαις ταῖς πρὸς βασιλέα.* Lacedaemoniis consensu omnium crimini esse datum et quod Thebanis adiutores fuissent ad Plataeas evertendas et quod pace illa quae dicitur Antalcidae Jones regi prodidissent satis efficitur ex multis locis Isocrateis velut XIV 62. XII 92. 93. IV 106 aliis, e quibus unum mihi liceat afferre, quocum loco Aristides haud scio an artiore sit vinculo coniunctus. Dico Paneg. (IV) 122: *ὧν ἄξιον ἐνθυμηθέντας ἀγανακτῆσαι μὲν ἐπὶ τοῖς παροῦσι, — μέμψασθαι δὲ Λακεδαιμονίοις, ὅτι τὴν μὲν ἀρχὴν εἰς τὸν πόλεμον κατέστησαν ὡς ἐλευθερώσοντες τοὺς Ἕλληνας, ἐπὶ δὲ τελευτῆς οὕτω πολλοὺς αὐτῶν ἐκδότους ἐποίησαν κτλ.*

459,5: *λέγουσι* (sc. *Λακ.*) *δ' ἀεὶ πάτριον εἶναι σφίσιν ἡγεῖσθαι τῶν Ἑλλήνων.* Eadem verba exstant in Isocratis Panegyrico (IV 18): *παρειλήφασι* (sc. *Λακ.*) *γὰρ ψευδῆ λόγον, ὡς ἔστιν αὐτοῖς ἡγεῖσθαι πάτριον.*

440,5: *πάλιν ἐν τούτῳ τῷ πολέμῳ γενομένου χρησίμου βασιλέως αὐτοῖς καὶ τὰ μέγιστα συγκαταπράξαντος, πῶς ἀπεμνημόνευσαν τὴν χάριν; διὰ Χειρισόφου καὶ Κλεάρχου Κῦρον ἐπῆγον αὐτῷ.* Quam arte hac in re narranda vestigia secutus sit Isocratis, huius verba documento sint ex Panathenaico allata § 104): *βασιλεῖ δὲ τοιαύτην χάριν ἀπέδοσαν, ὥστε ἔπεισαν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Κῦρον ὄντα νεώτερον ἀμφισβητεῖν τῆς βασιλείας, καὶ στρατόπεδον αὐτῷ συναγαγόντες, στρατηγὸν Κλέαρχον ἐπιστήσαντες, ἀνέπεμψαν ἐπ' ἐκεῖνον.*

Quamquam apud Isocratem desideramus Chirisophi nomen ab Aristide commemoratum; neque vero hoc ad

sententiam meam valet in suspicionem vocandam. Consuetudinem enim Aristidis esse cum viderimus, ut narrationem ex scriptore aliquo depromptam nominibus aliunde repetitis, quae apte scilicet quadrant in istam, instruat atque augeat, idem hoc quoque loco ponere non dubito.

449,15: *φοβοῦμαι δὲ μὴ Θηβαίοις γιγνόμενοι σύμμαχοι τοὺς ὑπάρχοντας ἡμῖν αὐτοῖς ἀπολέσωμεν· σκοπῶν γὰρ τὰς παλαιὰς αἰτίας, ἃς ἡμῖν ἐπήνεγκαν οἱ Ἕλληνες, ἄλλο μὲν οὐδὲν ἐχούσας εὑρίσκω, τοῦτο δέ, μὴ μετρίως ἡμᾶς χρῆσθαί τισιν αὐτῶν.* Haec spectare recte Jebbius monuit ad supplicia illa de Meliis Scionaeisque sumpta, quae saepissime Atheniensibus crimini data esse satis intellegas ex Isocratis locis velut Paneg. 100. Panath. 63. 89, quem ut saepius ita hic quoque Aristidem imitatum esse puto.

445,15: *ἀλλ' εἴ γέ τινα ἔδει χώραν ἀπαθῆ τούτων* (sc. *τῶν τοῦ πολέμου κακῶν*) *εἶναι, τὴν ἡμετέραν ἔδει. Καὶ γὰρ ἡ πρώτη καρποὺς ἐνεγκοῦσα καὶ μεταδοῦσα τοῖς Ἕλλησιν, οὐ μόνον Λακεδαιμονίοις, ἐστὶν αὕτη καὶ ὁ θεὸς ταύτην μητρόπολιν τῶν καρπῶν εἴρηκεν.* Athenas originem frugum a deo esse nominatas, quod Athenienses frumentum sibi primis a Cerere datum ceteris Graecis impertivissent et ab iis olim primitias frugum quotannis accepissent, Aristides in Panathenaico quoque refert, ubi haec exstant (105,15): *μνημεῖον δὲ καὶ σύμβολον τῆς θείας ἐκείνης πομπῆς καὶ τῆς εἰς ἅπαντας εὐεργεσίας αἱ παρὰ τῶν Ἑλλήνων ἀπαρχαὶ δεῦρ' ἀφικνούμεναι καθ' ἕκαστον ἔτος τῶν σπερμάτων ἐπὶ τῶν προτέρων χρόνων. Ἔτι δὲ αἱ τοῦ θεοῦ μαντεῖαι, δι' ὧν μητρόπολιν τῶν καρπῶν ὀνομάζει τὴν πόλιν, ἄμφω μαρτυρῶν, καὶ πρώτην ἔχειν καὶ τοῖς ἄλλοις παρ' αὐτῆς γενέσθαι.* Qua in re narranda Aristidem vinclo artissimo cum Isocrate coniunctum esse ut demonstrem satis est huius attulisse verba (Paneg. 31): *αἱ μὲν γὰρ πλεῖσται τῶν πόλεων ὑπόμνημα τῆς παλαιᾶς εὐεργεσίας ἀπαρχὰς τοῦ σίτου καθ' ἕκαστον τὸν ἐνιαυτὸν ὡς ἡμᾶς ἀποπέμπουσι, ταῖς δ' ἐκλειπούσαις πολλάκις ἡ Πυθιὰ προσέταξεν ἀποφέρειν τὰ μέρη τῶν καρπῶν καὶ ποιεῖν πρὸς τὴν πόλιν τὴν ἡμετέραν τὰ πάτρια.*

Iam vides eum et alia Isocrati debentem et illud μητρόπολιν τῶν καρπῶν, quod equidem non dubito pro certo dicere ex Isocratis verbis ἡ Πυθία προσέταξεν ἀποφέρειν τὰ μέρη τῶν καρπῶν καὶ ποιεῖν πρὸς τὴν πόλιν τὴν ἡμετέραν τὰ πάτρια fictum esse et formatum, id quod optime cadit in Aristidis scribendi rationem.

439,5: ἐκεῖνοι (sc. Λακεδ.) δ' ἕως ἂν καὶ ἡντινοῦν ἀφορμὴν ἔχωσιν, οὐ χαλεπῶς ἄν μοι δοκοῦσι κατὰ μικρὸν αὐξηθῆναι, ἐπεὶ καὶ τὸ παλαιὸν ἐκ μικρῶν κομιδῇ καὶ φαύλων πολισμάτων ὁρμηθέντες, Βοιοῦ καὶ Κυτινίου καὶ Ἐρινεοῦ, καὶ οὐδένων ὄντες σεμνότεροι, ἀλλὰ καὶ ἀγαπητῶς ἐλθόντες οὗ νῦν οἰκοῦσι, δι' ἡμῶν πρῶτον μὲν Πελοποννήσου τὰς δύο μοίρας ἔσχον, Μεσσήνην ἀνελόντες κτλ. Lacedaemonios a parva origine ortos beneficio Atheniensium Peloponnesum occupasse refert Isocr. Paneg. 61. Archid. 17 ssq. Unde sua Aristides mutuatus esse atque nonnullis videtur ex Thucydide repetitis (I 107 — ἐξ Δωριᾶς τὴν Λακεδαιμονίων μητρόπολιν Βοιὰν καὶ Κυτίνιον καὶ Ἐρινεόν —) exornasse.

425,10: πολλὰ τοίνυν με ὕπεισι καὶ παλαιὰ καὶ μεγάλα, ἃ κοινὰ ταῖς πόλεσι πρὸς ἀλλήλας ὑπάρχει χωρὶς τῆς ἐπὶ τὸν βάρβαρον συστάσεως· οἷον Ἡρακλεῖ μυστηρίων μετάδοσις πρώτῳ ξένων, καὶ ὡς ἀπῆλθεν ἐξ ἀνθρώπων, τιμαὶ παρὰ πρώτοις ἡμῖν αἱ αὐταὶ τοῖς θεοῖς, καὶ τῶν ἐκείνου παίδων καταφυγὴ δεῦρο, καὶ ὑμῶν προστασία καὶ μάχη πρὸς Εὐρυσθέα, τὸν ἐλαύνοντ' αὐτοὺς κτλ. Talia quo saepius apud veteres usurpantur — ut paucos afferam Apoll. bibl. II 5,2. Istr. fr. 20. (Muell. I 421). Plut. Thes. 33. Diod. IV 14. — eo difficilius videtur unde Aristides sua hauserit diiudicatu. Forsitan Xenophontis locum[1]) (Hell. VI 3,6) imitatum eum esse dicat quispiam, nec pro certo id denegaverim, quamquam apud Xenophontem a primis Atheniensibus Herculem, ut deum cultum esse non legimus. Sed verisimilius equidem existimo, ex Isocrateis locis velut V 33. IV 54. hausisse Aristidem.

---

[1]) ἐπεὶ λέγεται μὲν Τριπτόλεμος ὁ ἡμέτερος πρόγονος τὰ Δήμητρος καὶ Κόρης ἄρρητα ἱερὰ πρώτοις ξένοις δεῖξαι Ἡρακλεῖ τε τῷ ὑμετέρῳ ἀρχηγέτῃ κτλ.

Haec habui quae dicerem de Isocrate, Aristidis auctore. Nunc pauca addam de Demosthene oratore, quem non legisse Aristides, sed studiose videtur lectitasse, ut etiam elocutionen eius sibi proponeret imitandam. Neque in Leuctricis declamationibus desunt, quae ad Demosthenem pertinere videantur. Quod ad demonstrandum imprimis idoneos puto locos hosce:

412,15: *γέγραπται γὰρ ἐν αὐτῇ* (sc. *τῇ εἰρήνῃ τῇ ἐπ' Ἀνταλκίδου) δήπου τοὺς τὴν Ἀσίαν αὐτὴν οἰκοῦντας Ἕλληνας ὅτι ἂν βούληται βασιλεὺς ἐξεῖναι δρᾶσαι.* Similia quamquam leguntur in Isocr. Panathenaico[1] atque totius loci sensus artius consentit cum nonnullis locis Isocrateis velut Panath. 59, 102 ssq. Paneg. 120 aliis, tamen ad verbum hic minoribus discrepantiis exceptis congruunt omnia cum Demosthene in Aristocr. 23,140: *πῶς γὰρ οὐκ αἰσχρὸν Λακεδαιμονίοις μὲν ἐγκαλεῖν ὅτι τοὺς τὴν Ἀσίαν οἰκοῦντας Ἕλληνας ἔγραψαν ἐξεῖναι δρᾶσαι πᾶν ὅτι ἂν ἐθέλῃ βασιλεύς.* Hunc igitur transscripsisse Aristidem puto locum Demosthenis, qui ipse Isocratem ut saepius ita hic quoque videtur imitatus esse.

474,10: *ἀκούω δὲ καὶ τοὺς προγόνους ἡμῶν τοὺς ἐπ' ἐκείνων τῶν καιρῶν ἀποστῆναι Σαλαμῖνος Μεγαρεῦσι χρόνον ἔστιν ὃν κἂν τις εἴπῃ κομίζεσθαι, τεθνάναι ψήφισμα ποιήσασθαι.* Athenienses diu bello cum Megarensibus propter Salaminem insulam infeliciter gesto decrevisse, ut is qui denuo de Salamine recuperanda referret vel loqueretur, capitis damnaretur, Plutarchus narravit Sol. 8. Solonem vero ignominia exacerbatum dolum excogitasse, ut legis vim eluderet, praesertim cum vidisset multos iuvenes Athenienses belli initium exspectare. Insania simulata pileatum in forum irrupisse ibique magna multitudine circumdatum e praeconis suggestu elegiam cantasse. Sed hoc nihil ad rem pertinet. Neque enim hic Plutarchum secutus est auctorem Aristides,

---

[1]) *οἵτινες αὐτῷ παρέδωκαν — πάντας τοὺς τὴν Ἀσίαν οἰκοῦντας, διαῤῥήδην γράψαντες χρῆσθαι τούθ' ὅτι ἂν αὐτὸς βούληται* (XII 106, 107).

sed Demosthenem[1]), quocum non re solum si utriusque **locos** comparaveris, sed verbis etiam iuvenies eum con**sentire**.

418,1: *ἀλλὰ σώζει μέν, ὦ Ἀθηναῖοι, καὶ φυλάττει τὴν ἡμετέραν πόλιν ἡ τῶν θεῶν δικαία πρόνοια καὶ ἡ λαχοῦσα αὐτὴν ἐξ ἀρχῆς ἀγαθὴ τύχη; ὅσα δ' ἧκεν ἐπ' ἀνθρώπους, συνεπελάβοντό ποτε Λακεδαιμόνιοι καὶ Φωκεῖς καὶ ἄλλος τις οἶμαι, οὐ μὴν ἀλλ' οὐκ ἐλάχιστον Λακεδαιμόνιοι, τό γε κῦρος ἔχοντες αὐτοὶ τῆς ψήφου.* Athenis **captis** Lacedaemonios quidem Thebanis Corinthiisque **urbem** funditus delendam censentibus restitisse satis constat. cf. Xen. Hell. VI 5,35. II 2,19. Isocr. XIV 32 Sed Phocenses quoque illorum furores reppulisse **a** cervicibus Atheniensium aut valde fallor aut Demosthenis scripsit Aristides memor loci, qui exstat in oratione de fals. leg. 65: *ἀλλὰ μὴν ὅτι τὴν ἐναντίαν ποτὲ Θηβαίοις ψῆφον ἔθεντ' οὗτοι* (sc. *οἱ Φωκεῖς*) *περὶ ἡμῶν ὑπὲρ ἀνδραποδισμοῦ προτεθεῖσαν, ὑμῶν ἔγωγ' ἀκούω πάντων.* Sed exstat alius quoque scriptor, qui Phocenses vel potius Phocensium ducem Atheniensibus tum saluti fuisse refert, Plutarchum dico, cuius suâvis illa fabella (Lys. 15), versibus ex Euripidis Electra allatis Phocensem quendam in ducum convivio etiam inimicissimis Atheniensium fletum excitasse, exorditur ab hisce verbis: *ἔνιοι δὲ καὶ προτεθῆναί φασιν ὡς ἀληθῶς ὑπὲρ ἀνδραποδισμοῦ γνώμην ἐν τοῖς συμμάχοις, ὅτε καὶ τὸν Θηβαῖον Ἐρίανθον εἰσηγήσασθαι τὸ μὲν ἄστυ κατασκάψαι, τὴν δὲ χώραν ἀνεῖναι μηλόβοτον.* Quibus cum verbis velim conferas Demosthenis locum modo allatum: iam videbis rationem quandam intercedere inter Plutarchum et Demosthenem. Neque vero ex hac similitudine colligi debet, Plutarchum ipsum ex Demosthene hausisse; sed auctor Plutarchi, Callisthenem dico aut Theopompum, Demosthenis illud, Phocenses olim salutem attulisse Atheniensium rei publicae, videtur latius esse prosecutus

---

[1]) Dem. de fals leg. 252: *ἐκεῖνος μέν γε ἀφεστηκυίας Σαλαμῖνος Ἀθηναίων καὶ θάνατον ζημίαν ψηφισαμένων, ἄν τις εἴπῃ κομίζεσθαι, τὸν ἴδιον κίνδυνον ὑποθεὶς κτλ.*

atque in suavem illam narratiunculam dilatasse. Sed res nondum ad finem perducta est. Namque eorum quae ex Plutarcho exscripsi verborum partem apud Isocratem quoque invenimus (Plat. XIV 31): οὐ συναγορευσάντων ὑμῶν μόνοι τῶν συμμάχων ἔθεντο τὴν ψῆφον, ὡς χρὴ τήν τε πόλιν ἐξανδραποδίσασθαι καὶ τὴν χώραν ἀνεῖναι μηλόβοτον ὥσπερ τὸ Κρισαῖον πεδίον; Adde denique, quod Diodorus[1]) — quamquam Ephoro auctore quae Thebani commiserunt Lacedaemoniis crimini dat — eadem voce utitur, nec iam dubito statuere, non sententiam solum Thebanorum relatam esse a Plutarcho atque Isocrate, sed ipsa verba.

His quae modo disputavi satis ostendisse mihi videor ex Demosthene non nulla Aristidem quae ad historiam pertinerent delibasse.

Ad alios si vertimur vel oratores vel scriptores, nihil habeo nisi unicum locum, qui haud scio an ad Aristotelis artem rhetoricam sit referendus. Dico 425,5: ἂν οὖν — στρατιὰν ἔχων ἀφίκηται πάλιν δεῦρο ὁ βάρβαρος, οὐκ ἄμεινον σώους εἶναι Λακεδαιμονίους καὶ ἀποκεῖσθαι πρὸς τοιοῦτον καιρὸν καὶ τοιαύτην ἀνάγκην, ἀλλὰ μὴ τὸ τοῦ Λακεδαιμονίου συμβεβηκὸς ὑπάρχειν ἑτερόφθαλμον τὴν Ἑλλάδα; quibus cum conferas quaeso Aristot. rhet. Γ 10. 1411 a: καὶ Λεπτίνης περὶ Λακεδαιμονίων, οὐκ ἐᾶν περιιδεῖν τὴν Ἑλλάδα ἑτερόφθαλμον γενομένην.

Restat, ut pauca verba faciam de locis non nullis, qui vix in certa genera distribui possunt.

409,15: ἐγὼ δ' ὅτι Φοιβίδας ὁ ταῦτα πράξας ἦν καὶ οὐδὲν ἐπράχθη τούτων ἀπὸ τῆς κοινῆς γνώμης, ἀλλ' αὐτῶν Θηβαίων, οἷς οὐκ ἤρεσκε τὰ παρόντα, καλούντων εἰσῆλθεν ὁ Φοιβίδας παριὼν καὶ κατέλαβε τὴν Καδμείαν οὔτε πάνυ τι πιστεύω οὔτ' ἂν εἴποιμι. Haec quo magis abhorrent Aristidis verba ab iis quae apud Xen. Hell. V 2, 25—32 legimus (cf. § 32: εὗρε δ' ἐκεῖ τοὺς μὲν ἐφόρους καὶ τῆς πόλεως τὸ πλῆθος χαλεπῶς ἔχοντας τῷ Φοιβίδᾳ, ὅτι οὐ προσταχθέντα ὑπὸ τῆς πόλεως ταῦτα ἐπεπράχει), eo artius

[1]) XV 63: ἐπεβάλοντο δὲ καὶ τὴν πόλιν ἄρδην ἀναιροῦντες τὴν Ἀττικὴν ποιῆσαι μηλόβοτον.

primo videntur consentire et cum Plutarcho et cum Diodoro, quorum ille (Ages. 23. 24) Agesilaum habitum esse facinoris auctorem, hic (XV 20) Spartiatarum iussu arcem Cadmeam a Phoebida tradit esse occupatam. Quae secuntur autem Aristidis verba *ἐξῆν γὰρ τοῖς οἴκοι δήπου ταῦτα ἀκούσασι καλεῖν ὀπίσω, ζημιοῦν, ἐξάγειν, ἀγανακτοῦντας ὁρᾶσθαι, ὃ πολλοῦ δέουσι πεποιηκέναι.* cum nulla ratione coniungi possint neque cum Diodoro[1] neque cum Plutarcho[2]), immo magnopere cum utroque eorum pugnent, hoc unum satis luculenter ostendunt, ex eodem fonte, unde Diodorus manaverit aut Plutarchus, minime hausisse Aristidem. Aut igitur valde fallor, aut quod vindicasse in Phoebidam Lacedaemonios Xenophon silentio praeteriit, inde contraria eius quae supra laudavi verba omnino negligens sua deprompsit Aristides.

417,10: *ταῦτα τοίνυν ἀντ' ἐκείνων γέγονε παρ' ἡμῶν Θηβαίοις, καὶ Λύσανδρον ἀπεκτείναμεν καὶ τρόπαιον ἀνεστήσαμεν καὶ καθαρὰν πολεμίων τὴν Βοιωτίαν ἀπεφήναμεν.* Quae cum longe discrepent et cum Xenophonte (III 5,19, 22) et cum Plutarcho (Lys. 28.) et cum Diodoro (XIV 81) et cum Cornelio Nepote (Lys. 3) — Iustinus nihil dicit nisi (VI 4,6) „in eo bello .... Lysander ... interficitur“ — „oratorie forte, non historice“ scripta esse recte videtur Palmerus coniecisse, eo scilicet consilio, ut Atheniensium in Thebanos merita exaggerarentur. Neque quod statuimus eo puto refutari, quod Pausanias duobus locis (III 5,4. IX 32,4) in pugna contra Thebanos et Athenienses commissa tradit Lysandrum cecidisse. Etenim minus accurate hoc scriptum dicam potius, quam auctore usum eum esse statuam eodem atque

---

[1]) Diod. XV 20: *οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι διὰ τὴν πρᾶξιν ταύτην ἀδοξοῦντες παρὰ τοῖς Ἕλλησι τὸν μὲν Φοιβίδαν ἐζημίωσαν χρήμασι, τὴν δὲ φρουρὰν οὐκ ἐξῆγον ἐκ τῶν Θηβῶν.*

[2]) Plut. Pelop. 6: *ἐπεὶ δὲ Λακεδαιμόνιοι Φοιβίδαν μὲν ἀφείλοντο τῆς ἀρχῆς καὶ δέκα δραχμῶν μυριάσιν ἐζημίωσαν, οἱ μὲν ἄλλοι πάντες Ἕλληνες ἐθαύμαζον τὴν ἀτοπίαν κτλ.*

Aristidem, praesertim cum hic Atheniensibus solis tribuat inimicissimi mortem.

461,10: *σκοπῶ δὲ κἀκεῖνο. εἰ μὴ ἐποιήσαντο τὴν εἰρήνην οἱ Λακεδαιμόνιοι ταύτην δὴ τὴν καλήν* (sc. *ἣν βασιλεὺς κατέπεμψεν*) *ἆρ' ἄλλο τι ἢ πολεμοῦντες ἂν διετελοῦμεν πρὸς αὐτοὺς μέχρι νῦν ἡμεῖς τε καὶ οἱ Θηβαῖοι. συνεστηκότες ὡς συνεστήκειμεν.* Haec non convenire puto cum rebus, cum pace illa facta Athenienses Thebanis auxilium tulisse traditum sit. cf. Xen. Hell. V 4,34. Quare ab ipso Aristide ficta videntur illa, ut Thebanorum causa apud Athenienses gratiosior exsisteret.

426,10: *οὐκ ἂν παρέλθοιμι τὸ τῶν Ἀργείων ἐκείνων, ὑπὲρ ὧν τὸ παλαιὸν ἐξήλθετε εἰς Βοιωτίαν πανστρατιᾷ καὶ οὐκ ἐπετρέψατε Θηβαίοις τούτοις οὐδὲν ἀγνωμονῆσαι περαιτέρω τοῦ καιροῦ. καίπερ ἠδικημένους τὴν ἀρχὴν εἰδότες.* Cum caesorum Argivorum corpora iacerent insepulta, Athenienses Adrasti precibus commoti dicuntur aut expeditione suscepta aut facta pactione Thebanos coegisse, ut mortuorum corpora paterentur sepeliri. Atque hoc quidem tradunt Isocr. XII 168. Plut. Thes. 29. alii; illud Herod. IX 27. Eur. Suppl. Isocr. IV 55—58. X 31. Apoll. bibl. III 7,1. — Xenophon (VI 5,39) et Diod. (IV 65) quo modo Athenienses Thebanos commovissent non rettulerunt. Aristidem hoc unum dici potest a parte Herodoti stare; hic autem ei auctor fuerit an Isocrates nescire me fateor.

429,15: *τελευτῶντες δὲ παρείλοντο* (sc. *Λακεδ.*) *μὲν τὴν σιτοπομπίαν. ἐλάβοντο δὲ τὰς ναῦς. τὰ δὲ τείχη κατέσκαψαν ταῖς ἡμετέραις αὐτῶν χερσίν. ὦ Ζεῦ.* Athenas urbem a Lysandro commeatu interclusam et naves exceptis duodecim omnes traditas et muros esse dirutos referunt Xen. Hell. II 2,9. 20. 23. Plut. Lys. 14. 15. Diod. XIII 107. Ipsorum autem Atheniensium manibus Lacedaemonios ad evertenda moenia esse usos, quod diserte dicit Aristides, nusquam, quantum scio, scriptum invenitur. Quod qua ratione expediatur non video, nisi forte Aristides quae apud Xenophontem exstant (II 2,23) *μετὰ δὲ ταῦτα Λύσανδρός τε κατέπλει εἰς τὸν Πειραιᾶ καὶ οἱ φυγάδες κατῄεσαν καὶ τὰ τείχη*

κατέσκαπτον ὑπ' αὐλητρίδων falso interpretatus illud *κατέσκαπτον* ad exsules rettulit, ut verborum sententia haec exsistat: exsules, i. e. Athenienses ipsi muros diruerunt.

439,15: *ἴστε γὰρ δήπου τοῦθ' ὅτι δέκα μὲν ναῦς εἰς τὸ ναυτικὸν αὐτοί* (sc. *Λακεδ.*) *τετρακοσίους δ' ὁπλίτας εἰς Πύλας παρέσχοντο. καὶ ταῦτ' ἦν αὐτοῖς μόνα τὴν πρώτην. ἃ κἂν εἰ πρὸς Μεγαρέας ἐπολέμουν, γέλως ἦν.* De eadem re quae apud ceteros legimus, valde puto abhorrere ab Aristide. Atque naves quidem primo Persarum bello non plus decem a Lacedaemoniis ornatas esse omnes consentiunt, sed pedites eorum nemo quantum video exiisse tradit quadringentos. Clientium enim de numero quamvis inter se dissideant scriptores, trecenti tamen Spartiatae constanti fama atque omnium sermone celebrantur. Quare apud Aristidem quoque restituere non dubito numerum unice verum.

425,15: *εἰ δέ τις, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μεταξὺ νυνί πως εἰσδραμὼν ἀγγείλειεν ὑμῖν ὅτι τοῦ Μαραθῶνι τροπαίου τοὐπίγραμμα ἐκκεκόλαπται, θορυβησάντων δὲ τὴν ἀντόχειρα δείξειε, κᾆτα ἐκεῖνος φαίη τὸ Λακεδαιμονίων μόνον ἐξαληλιφέναι μέρος, τὸ δὲ λοιπὸν εἶναι σῶον καὶ φανερόν, χαλεπῶς οἶδ' ὅτι καὶ δυσχερῶς οὐδὲν ἧττον ἔχοιτ' ἄν. Μὴ τοίνυν ἂν μέν τις τοὔνομα τὸ Λακεδαιμονίων ἐξαλείψῃ τοῦ τροπαίου, πικρῶς καὶ χαλεπῶς ἔχειν οἴεσθε δεῖν, αὐτοὺς δὲ συνεξέλητε Θηβαίοις ἐκ τῆς Ἑλλάδος οὔσης τῆς ἐπιγραφῆς, ἀλλὰ λογίζεσθε κτλ.*

De tropaeo Marathonio cf. Paus. I 32,5: *πεποίηται δὲ καὶ τρόπαιον λίθου λευκοῦ.* et Critiam (Bergk. P. Lyr. Gr. I 14) *ἣ τὸ καλὸν Μαραθῶνι καταστήσασα τρόπαιον.* De epigrammate autem, in quo, Aristidi si habemus fidem, Lacedaemonii quoque nominati erant, ne minimum quidem inveni. Quamquam scholiasta (Ar. III 352 Dind.) honoris causa interpretatur nomen Lacedaemoniorum in tropaeum ab Atheniensibus receptum esse. Sed conclusum illud a scholiasta esse ex ipsis Aristidis verbis dicam potius, quam statuam ex abdito quodam fonte haustum. De toto loco non habeo quod addam, nisi forte existimatis Aristidem errore nescio quo captum pro celeberrimo illo tropaeo Plataeensi, quod optime opinor ad loci sensum quadrare, Marathonium hic subiecisse.

Ad finem iam disputationis perveni. Vidimus Leuctricis in orationibus quos secutus sit auctores Aristides haud ita facile interdum esse diiudicatu: etenim ut in Siculis suasoriis ita in his quoque ex uno omnia quae ad historiam pertinent fonte derivare vix fas esse videtur. Quamquam unum praeter ceteros scriptores, Xenophontem dico, ducem ei et principem fuisse, cuius in libro, qui inscribitur Historia Graeca, fundamenta quasi posita sint harum declamationum, pro certo statuere possumus. Attamen alios quoque auctores, etsi rarius, eum adhibuisse exemplis ex Herodoto vel ex Thucydide ductis satis superque mihi videor probasse: nam huic adeo se addixit, ut compluribus locis non res tantum sed ipsa verba ex eo describeret, illius saepenumero vestigia aperte est persecutus. Neque Isocratem et Demosthenem ulla est dubitatio, quin saepius expilarit: quo comperto aliorum quoque oratorum Atticorum orationes nolim negare praesto ei fuisse. Ad Plutarchum denique nonnullos Aristidis locos recte me existimaverim revocasse. Sed si ab his discesseris, vix quisquam est inter scriptores Graecos, quo usum esse Leuctricis in orationibus Aristidem tuo iure contendas. Theopompi certe, Ephori, Timaei nec vola nec vestigium. Quos adhibuit autem auctores Aristides, eos modo libere transscripsit modo artius est secutus. „Omnia autem suis additamentis rhetoricis miscuit, ut interdum novum aliquid legere tibi videaris, quod si accuratius contemplatus eris, ex Thucydide sive ex Herodoto esse patebit repetitum." (Haas l. l. p. 1).

Errata.

pag. 8 v. 5		legas:	380,15.
„ 8 „ 3 a fine		„	exstruxisse . . .
„ 26 „ 18 „	„	„	419,15.

Index Locorum.

Arist. ed. Jebb.	pag.
I. 105,15	42.
125,20	36.
148,10	36 sq.
155,5	16.
364,1	8 sq.
5	9.
365,1	7.
5	21.
10	9.
367,5	17.
368,1	10.
369,10	10 sq.
20	11 sq.
370,5	12.
15	7.
371,5	7. 20.
20	14 sqq.
372,5	6 sq. 21.
374,1	7. 23.
375,1	7 sq.
378,10	12.
15	17 sqq. 22 sq.
379,5	22.
380,1	12. 17.
15	8.
381,5	12.
10	7.
382,15	7.
383,15	20.
384,5	11.
385,1	22.
386,20	23.
387,5	13.
389,15	13.
390,1	6.
5	13.
15	7.
408,5	27. 30 sq.
15	31.
409,15	46 sq.
411,15	39.
412,15	39. 44.
414,10	34.
415,15	27.
416,10	27 sqq. 39.
417,5	29.
417,10	47 sq.
418,1	45.
10	26.
20	29.
419,15	26.
421,10	26.
424,15	29 sq.
425,5	46.
10	43 sq.
15	49.
426,10	48.
429,1	32.
5	33.
15	39. 48 sq.
430,5	39.
431,10	27. 30.
433,10	39.
434,15	28.
436,15	32.
439,5	43.
10	31.
15	49.
440,1	34. 39.
5	39. 41.
441,1	33.
15	34 sqq.
445,10	33.
15	42 sq.
446,20	40.
449,15	42.
450,1	40.
15	31.
451,10	40.
452,10	40.
15	36.
456,10	41.
459,5	41.
460,10	40.
461,1	33.
10	48.
464,5	40.
465,5	37 sq. 40.
468,20—470,15.	40.
474,5	40.
10	44 sq.
II. 244,5	37.

